



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ,  
puræ statu & viribus eruitur & explicatur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

Liber prooemialis. In quo limites humanæ rationis in rebus Theologicis  
indagantur; & autoritas. sancti Augustini in tradendo mysterio  
prædestinationis & gratiæ declaratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13673**

DE RATIONE ET AVCTORITATE  
IN REBUS THEOLOGICIS  
LIBER PROOEMIALIS.

In quo limites humanæ rationis in rebus Theologicis indagantur; & auctoritas S. Augustini in tradendo mysterio Prædestinationis & gratiæ declaratur.

CAPVT PRIMVM.

Gratiæ Christi veritas omnibus Christianis, ut vita & salus, cordi esse debet.



**I**NTER divinæ mirabilia sapientiæ, quibus theatrum hoc magnum pulcherrimumque hujus orbis instruxit, non illud infimâ admiratione dignum, quod cum cuncta

animantium genera diverso instinctu atque indole dotaverit, hoc mansuetissimo, illud ferocissimo; unum promptissimo ad invadendum, alterum acerrimo ad defendendum; omnibus tamen medullitûs infertum sit, ut quandocumque in discrimine versatur eorum vita & salus, quibuscumque possunt modis, sive cursu per saxa, per ignes; sive unguibus, rostro, calcibus; sive denique oppressa majore vi, voce saltem seipsa ac lamentatione tueantur. Non hic catellus leoni parcat, non cervus aut lepuleculus coram ferocibus canibus vitæ periclitantis obliviscitur. Quod si ista degeneres animulæ tanto impetu feruntur ac dimicant, ne qua vis extrinsecus irruens hoc vinculum abrumpat, quo mortalibus membris confertæ colligantur; quâ tandem curâ, impetu, animi nervorumque contentione, quâ gemituum, quâ querelarum, lachrymarumque profusione satagendum erit homini germanitûs Christiano, quando non illa vita periclitatur, quâ cum cæteris animantibus in hoc sæculento carcere miserè ac mortaliter vivit, sed illa per quam ab omnibus miseris hujus vitæ, ipsaque morte liberandus est, ac postmodum feliciter in beatissima æternitate victurus? Hanc vitam novit quisquis Catholicam doctrinam novit, qua saluberrimè nobis traditur, quemadmodum vita corporis anima est, ita, vitam animæ esse Deum; istumque Deum, ut hujus vitæ suæ per gratiam Testamenti novi in æternum nos parti-

cipes efficeret, nomine & reipsâ Iesum, hoc est, Salvatorem in hunc mundum venisse, & pro peccatoribus esse crucifixum. Ex qua fide Apostolus extertè pro se ipso dicit: *Gratia Dei sum id quod sum*: & pro alijs: *Gratiâ estis salvati per fidem*: & pro omnibus: *Gratia Dei vita æterna in Christo IESU Domino nostro*. Hæc ergo vita quâ Christus IESUS Dominus noster per magnam gratiam suam *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*; quâque vivit in animis nostris, & in æterna beatitudine victurus est, quando periclitatur ne à fide credentium, per quam in hoc mundo salvi fiunt, auferatur; quid institutioni naturali rerum omnium, sanctique amoris legibus congruentius, quàm ut quicquid animi ac virium hominibus in hujus gratuita vitæ participationem redemptis Christiana pietas dedit, id universum, tanquam contra presentissimi interitus impendentis minas, periculo ipso segnitiam excutiente, & infirmitatem roborante, conspiret?

Hanc porro vitam jam olim pro suo quicquidque Marte à Christianis tollere & extinguere conati sunt, quotquot eis pro Redemptore, vel phantasma, vel purum hominem, vel confusam quandam hominis ac Dei temperaturam obtrudere voluerunt: per cujus opem natura hominum perdita salute ex morte, & redemptione ex damnatione poteretur. Sed nulli unquam acerbius in ejus perniciem conjurarunt, quàm qui tantas homini perditio damnatoque vires tribuerunt, ut liberi arbitrij sui viribus vel Deo credere posset, vel declinare à malo ac facere bonum, non Deo per gratiam ut velit & faciat operante. Causam enim ipsam propter quam Filius Dei de cælo descendit, ex Christianorum fide & corde eradicare, ipsumque nomen

A

IESU,

I E S V, hoc est, Salvatoris abrogare; atque ita divinæ gratiæ, per quam æternitati vivemus & vivimus, ultimas fibras radicibus excidere studuerunt. Sublatâ quippe cœlestis adjutorij necessitate aut veritate, per illas magnas naturæ humanæ vires, quibus ad volendum operandumque bonum sibi sufficiat, Deo non operante ut possit & velit, profectò gratis Christus mortuus est, gratis I E S V S & Salvator vocatur, gratis auxilium suum nobis gratiamque venditat: everloque fidei Christianæ fundamento, frustra in hunc mundum venit peccatores salvos facere, aut mortuis vitam dare: nec ulla profectò causa est, cur ipsius nomini subdendi simus, aut Christianos nos esse debere gloriemur. Pelagiani sunt, & quotquot eorum dogmatibus vel nunc vel olim implicati fuerunt, qui dum nimium libertatis viribus favent, ad hujusmodi acerba in Christianam fidem sensa aut prudentes delabuntur, aut imprudentes adiguntur. In *superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium* (Carthaginensium Patrum verba sunt) nullum relinquunt locum gratiæ Dei, quâ Christiani sumus. Et paulò post: *Hæc mala vocant, quibus fundamenta Christianæ fidei conantur evertere.* Et Patres Concilij Milevitani simili phrasi dicunt,

*Patres Con. Carthag. ad Innoc. Pap.*

*Patres Con. Milevit. ad Innoc.*

quod omnino totum quod Christiani sumus, nituntur evertere. Et Augustinus: *Quod totius fidei Christianæ fundamenta evertere moluntur.* Nam fides Christiana à Christo I E S V dicta est; qui si sublatâ gratiæ necessitate, per quam nobis Christus & I E S V S factus est, non est hominibus necessarius; superflud ipse venit, superflud sunt homines Christiani, juxta illud Augustini de similibus dogmatum auctoribus: *Qui naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quarant liberatorem; ideo salvam, ut superfluum iudicent salvatorem.* Quam ob causam huiusmodi homines solo nomine Christianos vocat. Quæ sanè quantò atrociora sunt, & vitæ quæ in Christo est, divinæque gratiæ jugulum capitalius petunt, tantò fidelius atque animosius omnibus verè Christianis pro istius ejusdem vivificantis ac salvantis gratiæ veritate certandum est: ne dum solâ nominis I E S V appellatione contenti, per naturalium virium prædicationem, salvantis gratiæ, atque adeo Salvatoris ipsius I E S V necessitatem extingui taciti sinimus: minori sollicitudine æternæ vitæ nostræ discrimina feramus, quam pro tuenda illa fluxa & caduca, rationis expertes belluæ ac bestiolarum præliantur.

## CAPVT SECVNDVM.

## Ratio Scriptionis hujus labyrinthus quæstionum, quæ de gratia agitantur.

QVÆ quidem eo consilio à nobis dicta sunt, ne quis miretur, aut etiam vitio vertat mihi, quod ego post tot tantorumque virorum tam diuturnas ac pertinaces de gratia medicinali Salvatoris nostri altercationes, ulterius hac de re satagendum, aut aliquid etiam scribendum duxerim. Nimirum duplex meratio in hunc laborem, veritatis videlicet, publicæque charitatis compulit. Cùm enim hoc ipso quo Christiano nomini subditus, & Salvatoris I E S V mysterijs initiatus, gratiæ salvatricis nomen atque necessitatem in fide mea & Ecclesiæ precibus agnoscerem, & medullitus cordi insculptum gererem, in tot controversijs capitaliter inter se repugnantibus, nihil mihi charius esse debere judicavi, quam gratiæ illius, quâ ex fide vivimus, sincerissimam veritatem, si fieri posset, etiam intelligendo penetrare; & quod, Deo illuminante, cepissem, etiam animo, stylo, voce propalare; ne forte opinionibus non satis fidei nostræ congruentibus abrepti, perperam sentiendo ac differendo, vitam illam interficiamus, quam videmur credendo profiteri. Quod qui, Deo juvante assequi potuerit, nemo non videt, quantum Christianæ Reipublicæ fructum contulerit ejus labor: qui non potuerit, quam exculabulis sit conatus ejus, de vita gratiæ, de

humilitatis fundamento, de salutis principio, de Christiani hominis veritate, de nominis Christi ac I E S V medullâ, de vera Crucifixi gloria satagentis.

Nec verò ab indaganda divinæ gratiæ sinceritate me deterruit illa inextricabilis doctissimorum virorum pugna dimicantium; sed acriores mihi stimulos, auctore ejusdem gratiæ, spero, incitante, subjecit. Nam inde quoque animadvertere ceppi, quanti momenti esset illa controversia, quæ universas orbis Christiani scholas tantâ animositate committeret, ipsumque supremum Ecclesiæ Catholice tribunal sollicitum detineret: quanti emolumenti veritatis illius inventio, quæ tot tantarumque controversiarum tenebras suâ luce dispelleret, & contentiones animorum studijs acerbioribus distractorum optatissimæ conciliationis pacæ sopiret.

Sed, unum erat, quod me jam inde, cùm adolescentulus Lovanij in Collegio Adriani Sexti Pontificis Maximi, studijs Theologicis operam dabam, & cùm postea studiorum causâ Gallias peritissimis antiquitatum viris locupletes peragrabam, non mediocriter suspensum perplexumque detinebat. Mirabar enim vehementissimè, qui fieri posset, ut mysteria illa gratiæ, quæ olim à sancto Augustino & discipu-

5 & discipulis ejus, ipsaque Ecclesiâ Romanâ omnium matre & magistrâ tantâ certitudine & securitate tradebantur, tantâque luce illorum calamo propalata esse, doctorum virorum judicio, censebatur; nunc tantis tenebris immersa & obruta delitesceret, ut innumerabilium piorum, & studiosissimorum, & acutissimorum virorum aciem inter se summâ contentione de veritate certantium, fugerent. Alterutrum profectò necessarium esse mihi persuasum fuit, aut rem istam inventu impossibilem, aut in modo investigandi esse peccatum. Impossibilem esse, difficile creditu omnino judicabam, eò quòd per-

A insullum mihi videretur, ut vel illi antiquæ Ecclesiæ proceres, tantâ doctrinæ gloriâ celebrati, rebus impossibilibus indagandis ingenia sua macerassent, vel inventam semel veritatem, tanta profunditate in Democriti puteum iterum sepelissent, ut inde nullâ vi erui, & in lucem proferri posset. Neutrum, fateor, non sine insigni temeritate & absurditate, de tantis viris mihi dici aut cogitari posse videbatur: atque ita reliquum esse, ut fortè recentiores non illum tenerent inquirenda veritatis istius modum, quo ad ejus latentis cubile ducerentur.

## CAPVT TERTIVM.

Inventio veritatis de divina gratia, & concordia dissidentium Scholasticorum difficilis, propter Philosophiam. Mala inde pullulantia.

QVOCIRCA diligentis animo attendere cœpi, quâ viâ plerique ad istarum difficultium controversiarum decisionem assequendam, tradendamque niterentur. Deprehendi verò, nisi fallor, plerosque qui scholarum pulpitis ad enodandas Scholasticas, hoc est, methodicæ Theologiæ difficultates admoventur, multos annos prius in Philosophiæ palestra versatos esse, nec ferè idoneos isti Theologiæ contentiosæ prosthendæ judicari, nisi antè non exiguam ætatis partem in Dialecticis Metaphysicisque speculationibus triverint. Quod quamvis usum salubrem sanè habere possit, ut exerceantur istis difficultatibus & limentur ingenia: hinc tamen etiam, experientiâ teste, nascitur, ut cum in hujusmodi triciis junior eorum ætas valentiorque consumpta est, vix tempus eis idoneum reliquum esse possit, quod genuinis principiis veræ Theologiæ pervolvendis penetrandisque tribuatur. Itaque quotiescumque latet eos, quid in gravioribus aut arcanioribus nodis vel sentiendum vel dicendû sit, non eis cura est, quæ esse deberet, quid vel Scripturarum sacrarum auctoritas, vel veneranda Patrum canities consulta respondeat: sed statim ad Philosophiæ præsidium, velut ad omnium solutionum armamentarium, sese conferunt, atque ejus regulis tanquam sacrosanctis, mysteriorum altissimorum momenta metiuntur. Quid enim aliud obsecrò sententias illas peperit, quæ divinam gratiam imperioso nutui humanæ libertatis aptavit, nisi Philosophia? Quid eas tantâ animositate defendit, nisi Philosophia, quæ non videretur aliud libertatis genus admittere, nisi quod omnibus in voluntatem admissis aut irruentibus plenâ atque indifferenti potestate dominetur? Quid opera bona cum solis habitualibus donis elicienda fabricavit, nisi Philosophia, secundum quam potentia

A voluntatis habitu virtutis instructa sufficiens principium perfectæ operationis existimatur? Quid statum puræ naturæ formavit, ornavit, instruxit, nisi Aristotelica Philosophia, quam etiam Gentiles quidam majori sentiendi sanitate damnarunt? Quid virtutes Gentilium ac damnatorum hominum veras protulit, unde opera etiam bona pullularent, nisi Gentium Philosophia? Quid fidem, spem, dilectionem Dei super omnia naturalem, in summo sacrarum litterarum, scriptorumque silentio, adinvenit, nisi pura pura Philosophia? Quid gratiæ divisiones ab antiquitatis mente alienissimas attulit; quid prædefinitiones Dei, verasque gratuitas prædestinationes actionum creaturarum abstulit, nisi Philosophia? Nempe de rebus istis Theologicis, plerisque valde arcanis, homines Aristotelicis disciplinis instructissimi, secure & magistratiter disputant; & quia quilibet in scholis adversus quoslibet Dialecticæ præsidio sine magnâ difficultate defendunt, nonnunquam fit, ut quod initio vel timide sibi tuendum susceperint (nisi expressè definitum sit) audaciâ victoriâ, victoriâ fiduciam tribuente, mox etiam vel ipsi veram putent, vel tanquam compertam veritatem discipulis tradant. Longè videlicet hujusmodi ab illa sancta regula solidissimi Doctoris remoti sunt. Nunc autè servatâ semper moderatione piâ gravitatis, nihil credere de re obsecrâ remere debemus, ne fortè quod postea veritas patefecerit, propter amorem nostri amoris oderimus.

Nam alia quoque non minùs perniciofa moribus labe, nisi mens magnoperè piâ humilitate fundata sit, ijs qui in isto contentiosæ Philosophiæ pulvere diu versati sunt, solet adhærescere; ut in disputandi calore, victoriæ cupidiores nonnunquam, quàm veritatis esse videantur. Ex quo contingit, ut semel examinatam, assertamque novam sententiam, quia jam sua facta est, mox etiam

etiam, tanquam à se inventam ac traditam, aliorum esse velint. Quod vitium tunc imprimis nascitur, cum amantur propatula & famigerata in disputando certamina: quæ non cum desertis Philosophiæ classibus mori, sed unâ cum innumerabili philosophicarum questionum farragine, ad sacratoris Theologia pluteos transferri, & ad enodanda Dei mysteria in tractatus Theologicos, quasi Philosophico acumine commendata, transfundi solent. Cujus ineptiæ monstruosa penè exempla in quibusdam Scholasticorum antiquorum scriptis videre licet: ut eos nihil magis formidasse putes, quam ne Theologi, facti, Isagogen Porphyrianam, aut Aristotelis Categorias, & Analytica de manibus deposuisse viderentur.

Hæc & familia cum ego paulò attentiore consideratione ponderassem, mirari desij, cur scholæ de divinæ gratiæ auxilijs, tantâ contentione ac dissensione, serverent. Non amplius opus mihi fuit causas querere, aut suspi-

cari, propter quas alijs inventio veritatis, alijs dissentientium concordia desperata videretur. Nam illis principijs inhærendo, quæ jam utraque partium tanquam indubitata fundavit, difficile aut nunquam veritas inveniri, aut concordia conciliari potest. Res enim illæ non Philosophicorum principiorum præsidio decidendæ sunt, quæ vel de concursu Dei, vel de liberæ voluntatis naturâ, vel de habituum cum voluntate confluxu, vel de libertatis indifferentiâ, vel de robustissimâ potestate libertatis adversus omnes passiones ac tentationes, quamdiu viget usus rationis, vel de similibus innumerabilibus, quisque juxta disciplinas Aristotelis aut Zenonis, amplexus est: sed Ecclesiasticæ auctoritatis ductu investigandæ, & pondere asserendæ videbantur. Semper enim Philosophia, quemadmodum mater hæreticorum fuit, ita rerum divinarum arcanis definiendis adhibita, mater errorum est.

CAPVT QVARTVM.

Discrimen inter Philosophiam ac Theologiam. Illi servit ratio, huic memoria: principium ejus traditio non scripta, per accidens etiam scripta. Quid Christus & Apostolus, in tradenda Theologia spectarint.

**Q**UOD enim apud omnes veros Theologos receptum ac certum est, principijs revelatis Christianæ Theologiæ moles nititur. Illæ igitur viæ necessariò querendæ, diligenterque tendendæ sunt, per quas vel revelatio illa primigenia, vel ipsa principia revelata ad posteros dimanarunt. Quis autem nesciat utrumvis istorum vel calamo scribentium, vel linguâ prædicantium, tanquam Ecclesiasticæ traditionis organis ad auditores delatum esse? Qui rursus acceptum doctrinæ depositum simili modo discipulis ac successoribus suis fideliter commendarunt. Sic igitur, quemadmodum intellectus Philosophiæ suscipiendæ propriæ facultas est, ita memoria Theologiæ. Ille quippe intellecta principia penetrando Philosophum facit; hæc ea, quæ sibi scripto aut prædicatione tradita sunt, recordando, Theologum Christianum. Nec enim cuiquam absurdum aut miram videri debet, quod ex traditam revelationum ac divinorum verborum memoriâ, Christiana nascatur sapientia, nisi qui nesciat, æternam illam sapientiam, quæ est Verbum Patris, ex quo tanquam fonte & exemplari omnis, nostra propagatur sapientia, ex fecunda Patris memoria prodire.

Hinc igitur etiam proficitur, quod auditus, quo prædicata traditaque recipiuntur, quamvis ea nullo pacto intellectus penetret,

magis proprius Ecclesiasticæ disciplinæ, quam Philosophiæ sensus est. Non enim Philosophus est, qui multa sensibus commendata meminit, sed qui tacitis cogitationibus ruminata percipit & intelligit. Itaque Sanctus Paulus, & Apostoli cæteri non inculcant in suis prædicationibus demonstrationes, quibus vel ipsi divina penetraverint, vel penetranda committant auditoribus suis; sed quod ea quæ audiverint ipsi, similiter discipulis audienda annuncient, & credenda: *Andivi, inquit, arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et: Est enim habes sanctorum verborum, quæ & me acquisi in fide. Et rursus: Quæ audisti à Ioh. & me per multos testes; hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Et Co-Apostolus Pauli Sanctus Ioannes: *Hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis.* Quæ sane causa fuit, ut non tantum Apostoli, sed & successores eorum Sancti Patres, non modò ea quæ audiverant & acceperant, eadem secundum veritatem rerum ipsarum immutata, sed etiam secundum ipsissima verba, quibus sibi commendata fuerant, libentissime discipulis suis traderent. *Ne me ineptum putes, inquit Augustinus Honorato, quem de rebus Theologicis instructionem reddere nitebatur, Græci nominibus utentem. Primum, quia sic accepi, nec tibi hoc aliter audeo tradere, quam accepi.* Et in alio opere de quantitate animæ: *Divine ac singulariter in Ecclesia*

L43

*Ecclesia Catholica traditur, nullam creaturam colendam esse animam: libentius enim loquor his verbis, quibus mihi hac insinuat sunt. Quod ideo dicit, quia ( creatura ) vocabulum non ita latinum esse videbatur. Nempe hoc unum Sancti Patres magnam religionem spectabant, ut quemadmodum Filius Patris quae audivit ab eo, hac loquebatur in mundo; eaque de causa dicebat Iudaeis: sicut audio iudico: Et quemadmodum Apostolis dicebat: Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis: deque ipso suo Spiritu Sancto pollicebatur: Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur. Et quemadmodum Apostoli ea quae ex ore Christi praedicantibus acceperant, tanquam depositum inalterabile fideliter successoribus commendarunt: ita etiam ipsi doctrinam a maioribus transmissam, non ex Philosophorum principijs deductam, vel subtilitatis acuminibus adulteratam, etiam verbotenus suis auditoribus B transfunderent. Non enim curae vel Christo Domino, vel Apostolis, vel maioribus nostris fuit, divina mysteria ex receptis Philosophorum placitis derivare, vel ad eorum principia reducere: sed nudè accepta tradere, & argumenta perduellum traditae veritatis probabili aliqua veritate dissolvere.*

Cum igitur tota doctrina Christiana caelestis, hoc est, ex divina revelatione per auditum accepta & creditè derivetur; hinc etiam factum est, ut neque Christus Dominus quicquam ipse scripserit, neque scribendum quicquam Apostolis unà cum ipso in hac vita conversantibus imperaverit: sed nudam mysteriorum suorum praedicatione contentus, cordibus potius ea ruminanda, quam intellectu penetranda dereliquerit. Quod & Apostoli ad amullim imitati sunt. Nec enim & ipsi hoc tanquam officij sui scopum intuiti sunt, ut Evangelium aliquod tanquam corpus doctrinae scriberent: sed è contrario, ut brevi symbolo rerum credendarum compilato, sive scripto caelestis doctrina per auditum, nihil addendo vel detrahendo in discipulorum corda funderetur. Sed cum & ipsi tanquam homines cum hominibus versantes, & humanis casibus obnoxij, diversis occasionibus rerum servire, & incommodis, quibus humana consilia etiam prudentissima turbari solent, occurrere cogerentur; diversis ex capitibus praecipua doctrinae capita scripto committere compulsi sunt, non tanquam totius Christianae eruditionis adipiscendae methodum tradituri: sed ut vel absentes ad opera fidei exhortationum stimulis percellerent, vel doctrinae traditae adversarios haereticos, tanquam novatores Christianae fidei revincerent, aut iterum ad normam desertae veritatis

A adducerent. Hinc enim factum est, ut Sanctus Ioannes mysterium generationis Filij Dei, Cherinto traditam doctrinam perturbante, propalaverit; productionis verò Spiritus Sancti, quia nullam necessitate cogebatur, superfluerit, oportumque praeteriverit. Hinc Sanctus Paulus, quia Iudaicus error Dei gratiam & benevolentiam ad humanas voluntates revocabat, magnum illud arcanum divinae praedestinationis aperuit, quod Evangelistae nullo urgente adhuc errore, vix quasi per transfennam delibaverant. Hinc Sanctus Iacobus, erroneis quibusdam opera bona respicientibus, quasdam sententias Pauli, quae magnificentius fidem praedicant, bonorum operum adjectione & commendatione patefecit.

Et verò ratio, cur istum ordinem doctrinae caelestis propagandae Christus Dominus & Apostoli observaverint, factoque suo posteris observandum commendaverint, valde perspicua est. Lex enim nova de se naturaque sua non postulat, ut in chartis, membranis, & lapidibus, sed tantummodo ut in tabulis cordis carnalibus conscribatur. Haec est enim medulla totius discriminis, quod inter veterem novamque legem intercedit; quod illa in lapidibus exarata forinsecus terreat, haec juxta Prophetam, in corde scripta delectet intrinsecus. Ex quo fit, ut cum Scriptura C exterior veteri Testamento sit quasi essentialis ac propria, quae propterea etiam proprio nomine lex scripta nuncupata est, non possit novo ex primaria ipsius consideratione convenire; sed solummodo ex quadam attemperatione ad subnascentes errores, aut infirmitates hominum: propter quas non solum humana prudentia, sed etiam divina Providentia altiora perfectioraque consilia sua demittere, & mutare solet. Sic enim cum Deus populo Iudaico breve tantum compendium, Decalogo paucisque legibus comprehensum, tradere decrevisset, simul atque pudenda illa vituli adoratione deseruissent Creatorem suum, ingenti illo ceremoniarum cumulo durissimam eorum cervicem fregit, & ad cultum qualemcumque suum severissimis minis, supplicijisque religavit. Hanc enim ingentis illius apparatus, legum, ceremoniarum, penarum, praemiorumque carnalium causam fuisse praeterintentionem Dei, non ignobiles Patres docent: ut sanè absque temeritate dici queat, hunc morem allegandi veritates illas altissimas, quas lex gratiae veneratur, conscriptis characteribus, ex humano agendi modo desumptum esse, quo rebus omnibus conficiendis firmandisque Scriptura adhibetur.

Ieron. c. 8.  
Ibid. c. 5.  
Ibid. c. 15.  
Ieron. 16.

Ieron. c. 31.



## CAPVT QVINTVM.

Antiqui Patres eos imitati sunt. Discrimen inter disputationes eorum de mysterijs fidei, & Scholasticorum. Lapsus Origenis.

**H**OC igitur Christi Domini & Apostolorum ejus consilium antiquiores Patres nascentis Ecclesie ad amulsum imitati sunt. Omnes enim vel in exhortationibus ad opera bona, vel in Scripturis Sacris elucidandis, ubi nudus mysteriorum sacrorum sensus eruitur, versati sunt; vel, si quid de ipsis mysterijs altius exaraverint, hoc eis pure violentia necessitatis extorsit, ut arcanorum divinorum integritas illibata contra suborientes hareses servaretur. Quae cum nova per singulas aetates ebullirent, & adversus eas novos Antagonistas gratia illustrandae veritatis praeditos divina Providentia suscitaret; hinc effectum est, ut major quaedam scientia rerum divinarum ad posterorum saecula derivata sit.

Veruntamen in illa ipsa scribendi ratione, quae ab antiquis Patribus contra errores mysterijs revelatis adversarios observata est, duo magnoperè consideranda sunt, per quae ab illa Philosophica disputandi libertate, quae passim viget, lato limite discernuntur. Primum, quod ex principijs verbi Dei, praecipueque sacrarum literarum, sensus suos, & ferè verba promerent. Ex capitalibus enim scripturis, in quibus veritas oppugnata fundabatur, tanquam veris principijs elucidationes suas deductionesque derivabant, quibus in subsidium Scripturas alias minoris quidem ponderis, omnes tamen expressione diversorum sensuum capitalibus concinentes, adhibebant, ut illae primariae, quibus mysterium contineri putabant, inexpugnabili auctoritate & munitione

**A** consistenter. Quod in omnibus penè rationationibus, quibus Patres antiqui per trecentos annos in defendenda divinitate Filij Dei adversus Arianos usi sunt, accuratius videre licet. Secundum est, quod religiosè intra terminos oppugnatae ab errore veritatis, sine ulla superfluarum, multò minùs curiosarum, frivolarum, atque inutilium quaestionum intermixtione remanent. Quod usque adeò verum est, ut cum subinde ad invadendas alias quaestiones non controversas urgerentur, perspicuè declinaverint, donec ad loquendum ea de re alio suborto errore coegerentur. Quo sanè manifestè declaratum est, eos de arcanis illis revelatisque mysterijs non disserere, nec tantoperè progredi, nisi inevitabili necessitate pertractos. Nimirum deterrebat multos illud magnum & evidens, quod in Origene praecesserat, humanae temeritatis ac divinae castigationis exemplum. Hic enim cum de mysterijs à Deo Ecclesiae suae revelatis, nullà necessitate, solà disserendi cupiditate, per Platonicae & Aristotelicae Philosophiae principia, quibus elimatus erat, in libris illis *περί ἀρχῶν* latius disputare voluisset, omnes penè errores, quibus Ecclesia per trecentos & amplius annos afflicta fuit, Arianos, Macedonianos, Photinianos, Pelagianos, Deo audaciam persequente, accuratè praeformaverat: quemadmodum in illis libris, jam toties interpolatis & expurgatis, in hunc usque diem perspicuè patet, & nos alicubi quaedam ex parte demonstravimus.

## CAPVT SEXTVM.

Quis limes in hac vita indagandi divina mysteria. Quaestionem quomodo quidque verum sit, ferè semper obscuram Deus esse voluit. Duplex quomodo articulorum revelatorum, essentiale, & accidentale.

**L**ATVISSE quippe Origenem videtur, quod etiam nunc nonnullos eorum, qui ad pertractandas revelatas veritates accinguntur, profundè latet, quis earum cognoscendarum, assequendae scientis mensura, in hac vita sit limes ac modus, quodque in nova lege hominibus impartienda consilium Christi fuerit. Cognitionem enim illam nobis intimè commendatam esse voluit, quae ex humili firmaeque obedientiae

**A** & Charitate pender, voluntatemque nostram soli ac nudae divinae auctoritati, per quam nobis dictata caeli arcana & propalata sunt, subijcit & affigit. Cum enim sapientiam hujus mundi fide crucis prostravisset, juxta illud *Isaie* ab Apostolo quoque sanctificatum: *Perdani sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*: & illud ipsius Apostoli: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Nimia illa sciendi desideria, quibus Ecclesiae filij agitan-

13  
 agitantur, ignorantia cuiusdam sanctae can-  
 cellis circumsepsit; ut humilitatem stultitiam-  
 que crucis animis nostris persuaderet. Quic-  
 quid in rebus fidei limitem illum excedit, cu-  
 riosum ac vanum est, scopoque ac fructui, in  
 quem collimat Euangelium Salvatoris, im-  
 portunum. Qui fructus magis in efficacia san-  
 ctorum operum, quam in sublimi penetratione  
 divinarum veritatum situs est. Puritas enim  
 charitatis, felicitas hujus vitae est: contem-  
 platio veritatis, alterius.

Quod si scopum, quem Christus in afferen-  
 da nobis nova lege propositum habuit, dili-  
 gentius trutinemus; perspicue deprehende-  
 mus, nequaquam eum spectasse, ut nos crudi-  
 tos redderet; sed ut simplicem nobis dumtaxat  
 cognitionem certarum veritatum divina-  
 rum traderet, quarum radices, seu rationes  
 profundiores ab humana acie procul abstrusa  
 tegerentur. Ex quo profectum est, ut exem-  
 pli gratia non dubitemus unum esse Deum,  
 personis trinum, essentia immensum, contin-  
 gentium futurorum praescium, omnipotentem,  
 & hujusmodi: quo verò singula quaeque modo  
 ei convenient, tanquam spissa caligine involu-  
 tum ignoramus, & latet. Et tamen in istis  
 ipsis quaestionibus enodandis, quomodo vide-  
 licet singula quaeque revelata vera sint, quas  
 Deus nobis in hac vita abstrusas esse voluit,  
 quia ad bene vivendum nullo pacto erant ne-  
 cessariae, plerique recentiores magna ex parte  
 torquent ingenium suum, atque otium audi-  
 torum terunt. Ad quae sane S. Augustinus

respexisse videtur, quando dicit: *Multa multum  
 disputant de his rebus, quas maiore prudentia nostri  
 auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas  
 discantibus, & occupantes quod peris est, multum  
 pretiosa, & rebus salubribus impendenda temporum  
 spatia.* Nam hinc illae densae quaestiones, quo-  
 modo Deus immensus sit; quomodo futura  
 praevideat; quomodo trinus in personis; quo-  
 modo in spatijs imaginarijs; quomodo gene-  
 ret Filium; quomodo hoc vel illud per absolu-  
 tam potentiam possit; quomodo peccatum  
 originale seminando traducatur; & similes in  
 singulis materijs revelatis sine fine multiplica-  
 re. Nam etiam in hac materia divinae gratiae,  
 quam tractamus, quid praecipuas lites in Scho-  
 las intulit, nisi ita ipsa curiositas istius per-  
 noscentis quaestiones, quomodo gratia in vo-  
 luntate operetur? Cum enim ex divina reve-  
 latione constaret, celsitius nobis misericorditer  
 Dei adiutorium dari; quo efficaciter velle  
 & perficere in voluntatibus nostris operetur,  
 quod merito sobrietati nostrae sufficere de-  
 buisset, sicut saeculis multis majoribus nostris  
 satis fuerat; quomodo hoc ipsum fieret, non  
 tantum curiosè noscere, sed etiam audaciter  
 ex propinatis Philosophiae quisque sua princi-  
 pijs definire voluerunt. Vbi multò satius esset  
 Augustinum audire, adversus huiusmodi qua-  
 estiones ad sobriam & Ecclesiasticam simplici-  
 tatem homines revocantem: *Quid à me quaeris,  
 quo sit factum modo, cum vide à factum esse quocun-  
 que modo, si Apostolo credid aliquo modo, qui men-*

14  
 tiri potuit nullo modo? Quibus verbis cum ali-  
 quid in Scripturis definitum est, acquiescen-  
 dum esse statuit, neque superflue curiosaeque de  
 modo esse satagendum. Non enim animadvertunt,  
 istud quomodo in divinis Scripturis ferè  
 semper modulum humanum superare; & vel  
 rerum ipsarum profunditate, vel virium infir-  
 mitate vetitam esse perferutationem ejus.  
 Haereticis enim proprium est, simplici revela-  
 tionis veritate nunquam esse contentum: quo-  
 rum audacia quemadmodum erroribus à  
 Deo plectitur; ita Catholicorum quoque te-  
 meritas immodicè cuncta rimantium & asse-  
 rentium, plerumque suam poenā non caret. Quid  
 enim aliud existimari potest in tam obnoxia  
 disensione certantium; nisi alterutros in non  
 exiguo errore versari? Errare autem in tantis  
 rebus, quemadmodum fructus est involunta-  
 riae caecitatis; ita poena voluntariae temerita-  
 tis. Quanquam & ipse, ut Augustinus, per  
 seipsum error, aut magnum in re magna, aut parvum  
 in re parva semper est malum.

Quod si quis dixerit, etiam quomodo ali-  
 quid factum sit, subinde à sacris Concilijs de-  
 finitum esse, ut quomodo facta sit unio in  
 Christo duarum naturarum? Attendat ille in  
 rebus fidei attinentibus, duplicem esse mo-  
 dum: quorum unus essentiam rei revelatae res-  
 picit; alter accidentale conditione ejus. Illum  
 subinde Ecclesia; ab haereticis articuli reve-  
 lati substantiam convellentibus quassata defi-  
 nivit; alterum intactum tacita praeterijt. Sic  
 enim Nestorio & Eutychem Filij Dei incar-  
 nationem vellicante sanxit, unionem inter  
 duas naturas in persona factam esse: nam  
 utrumque ipsa revelatio, quae Dei Filium verè  
 hominem factum esse docet, manifestè com-  
 plectitur. Sed quomodo illa unio utrumque  
 suum extremum attingat, nec revelatio do-  
 cuit, nec Ecclesia sanxit, nec spinosissimas  
 Recentiorum disputationes effugere potuit.  
 Quisquis enim articulos fidei à Scriptura aut  
 Concilijs determinatos percurrere volet, ma-  
 nifestè deprehendet, quicquid tandem quo-  
 cumque modo, vel à Scripturis, vel ab Ec-  
 clesiae Pastoribus definitum fuit, plerisque  
 Recentiores nunquam sobria ista sapientia  
 nuda cognitionis ab Ecclesia tradita conten-  
 tos fuisse: sed semper in omni argumento,  
 Philosophia duce, novas excitasse, curiosas-  
 que quaestiones, quibus definiendis non raro  
 magis Aristotelis commentatio, quam Sancti  
 Spiritus revelatio praesidet. Quod ut uno ex-  
 emplo cunctis obvio ad oculum patefiat, quid  
 magis absconditum Deus nobis esse voluit,  
 quam naturas Angelorum? Nec enim ulla  
 via sensibus nostris patet, quibus eorum essen-  
 tias, intelligentialque penetremus. Perpaucā  
 & perquam exilia sunt quae de ipsis Sacra Scri-  
 ptura propalavit. Et quantam interim, Deus  
 bone; quantam struem curiosissimarum qua-  
 estionum nova Theologia peperit nobis, quibus  
 ad vivum & verum relecandis, universa totius  
 mundi ingenia non sufficerent, de ipsorum  
 principijs specificantibus, individuantibus;  
 de in-



de intelligendi speciebus, modo, duratione, de loco eorum, motu, operationibus, instantibus, locutionibus; de gratiæ inæqualitate, magnitudine, de meriti statu, continuatione, intensione, tempore, & similibus infinitis, in quibus nihil plerumque nisi omnia incerta esse, certum est. Nam si Ecclesia in Concilium cogereretur, ut veram, & Christianam, & Ecclesiasticam ex revelatione cognitionem filijs suis de Spiritibus Angelicis traderet, nec unum quidem ex omnibus articulis istis forsitan definire posset, quos tantâ nonnulli animorum viriumque concertatione disputant, ac determinant.

Ex quo etiam perspicuum est, quàm parum hujusmodi ratiocinationes Philosopho-Scholasticæ ad inveniendas divinas veritates faciant. Nam in illis ipsis Concilijs quæ ad illustrandas eas congregantur, postquam Theologorum dissertationibus super ambiguis contestatâque veritate datus fuerit locus, non eam Ecclesia per modum conclusionis in humana ratiocinatione & confecutione fundatæ elicit ac determinat: sed per modum sententiæ, quàm ipsa tanquam iudex, auditis Theologis tanquam causidicis, divinâ inspiratione gubernata, ex alijs primitus revelatis, hoc est, ex Scripturis, aut traditionibus jam antè creditis, trahit. Ad quem sanè scientiæ uberius hauriendæ tradendæque modum, Philosophia humana perparum facit.

Hoc est igitur, quod supra diximus, non hoc Christum Dominum, in conferendo novæ legis beneficio spectasse, ut scientijs expoliret nos: sed potius, ut principijs quibusdam al-

issimarum rerum revelatis, & rationibus earum testis, humilitate fundatos, & charitate fervidos redderet. Nimirum ad locum, unde per protoplasti iniquitatem in hoc exilium relegati sumus, contrariâ nos profus viâ studuit revocare. Ille scientiæ magnitudine præcelluit, majoremque intemperanter appetendo periit. Medicus igitur attentâ ista ruinâ nostrâ causâ, sanaturus ægrotum, luminosâ scientiæ cuncta rimanti & penetranti substituit in Ecclesia sua fidem; cujus obscuritate divina mysteria ita tegetur, ut nos eorum cognitio sine cognitione salvaret. Ex eadem quippe medicinæ methode, pro primæva abundantia nostrâ paupertatem; pro delicijs quibus abusi sumus, difficultates ac labores, veluti spinas ac tribulos præparando, feminavit. Nam quia voluit homo, inquit Augustinus, inter delicias Paradisi servare peccatum, inquitiam, statuit Deus, ut post eius peccatum propin-

gata caro peccati ad recipiendâ inquitiam laboribus & molestijs mitteretur. Quam ob causam ipse Medicus Christus, ut ægroti suo semetipsum, quantum fieri posset, attemperaret, quemadmodum cum pauperibus & afflictis, pauper fuit, & in laboribus à juvenute sua; ita & secularium scientiarum imperitus videri voluit. Non enim in illis earumque lumine præsentis vitæ felicitas posita est, sed in lumine purificatæ charitatis; quâ etiam voluit filios discipulorum; suos peritos effici: ut ita veluti docibiles Dei, seu docti à Deo, participes fierent mysteriorum ejus: & istâ luminosâ face in cordibus eorum accensâ, cœlestium principiorum quæ revelaverat, arcana penetrarent.

## CAPVT SEPTIMVM.

Duplex modus penetrandi mysteria Dei, humanâ ratione, & charitate: ille periculosus est, proprius Philosophorum; iste tutus Christianorum.

**E**X quo profectò aliud non parvi momenti arcanum sese aperit, quod à plerisque, qui de rebus divinis tam subtiliter, & logicè arguantur, abstrusum est. Duplex enim est modus penetrandi divina mysteria, quæ Dei revelatione credenda proponuntur: unus per humanas ratiocinationes, quem etiam Philosophi sectati sunt. Modus ille periculis multorum errorum obnoxius est; quemadmodum exemplis magnorum quorundam, sive Recentiorum, sive ætatis mediæ Scriptorum, sive etiam antiquorum Patrum, luculentè demonstratum est: qui intemperantiùs majestatem divinorum scrutantes mysteriorum, ab eorum gloriâ oppressi sunt. In hujusmodi enim inquisitione & assertionem maximè oportet sapere ad sobrietatem: quæ non sinit animum veraciter humilem atque Christianum, in novas, quales dixi, prurire de revelatis mysterijs quæstiones, nisi errorum grassantium necessitas aliquid dicere cogat; multoque minùs eos ex humanâ Phi-

losophiæ, sed tantùm ex revelatæ sapientiæ principijs definire. His enim ex causis Apostolus Paulus, & primi Patres tantoperè ad-versus humanam Philosophiam stomachati sunt.

Alter modus ex incensa charitate proficitur, quâ cor hominis purgatur, & illuminatur, ut secreta Dei penetret, quæ in sacrarum litterarum corticibus, ipsisque revelatis principijs continentur. Hic intelligendi modus veris Christianis maximè familiaris est: per quem in spiritualibus sive viris sive sceminis, magis magisque crescente charitate, crescit sapientia, donec perveniat ad perfectum diem. Nam quemadmodùm ex semine arbor nascitur, & vicissim ex arbore semen, atque ita reciproca utrumque productione in infinitum multiplicatur: ita quoque Christianæ fidei cognitio charitatis amorem suscitât; & per illam operatur: quæ charitas continuò lucem cognitionis excitat novam, lux flammam amoris, & iterum flamma lucem, atque ita idem-

identidem recipiando vices animum Christi-  
 stianum ad fervoris, ac lucis, hoc est, ad  
 charitatis, & veritatis seu sapientia plenitu-  
 dinem ducunt. Sed quemadmodum isti duo  
 adipiscenda cognitionis modi valde discre-  
 pant; ita quoque veritates, quae per alter-  
 utrum innotescunt, valde diversae sunt. Illae  
 plerumque spinosae atque aridae sunt, in sola  
 haerentes speculatione, atque ideo fere frivolae  
 & inutiles: hae vero sive ad Deum, sive ad  
 homines, sive ad rerum agendarum regulas  
 pertineant, lapidae sunt, & medullitius in affectu  
 resuunt, unde prodierunt. Doctrina ista tan-  
 quam certissima solidissimaque sapiens ab Au-  
 gustino traditur, & omnibus de rerum divina-  
 rum intelligentia satagentibus unice com-  
 mendanda est. Nam hinc illud in tractatibus in  
 Ioannem: *Non diligitur quod penitus ignoratur,*  
*sed cum diligitur quod ex quantalacumque parte cognos-*  
*centur; ipsa efficitur dilectione, ut melius & plenius*  
*cognoscatur.* Itaque statim adiecit, moxam in  
 scientia rerum divinarum proficiendi: *si ergo*  
*in charitate proficiatis, quam diffundit in cordibus*  
*Spiritus sanctus, docebit vos omnem veritatem.* Et  
 inferius omnem profectum scientiae inde spe-  
 randum esse prohetur: *Totum, quod usque ad*  
*illam perfectionem (qua post hanc vitam dabi-*  
*tur) futurum est, nobis promisit Dominus per chari-*  
*tatem Spiritus, dicens: Docebit vos omnem verita-*  
*tem.* In cuius veritatis assertionem etiam Apo-  
 stolus citat, qui ad Ephesios dicit: *Ut in*  
*charitate radicati, & fundati, possitis comprehendere*  
*videlicet sciendo, cum omni. b. s. sanctis, quae sit*  
*longitudo &c.* Et concludit id quod supra di-  
 ximus: *ISTO ENIM MODO vos docebit Spiritus*  
*sanctus omnem veritatem, cum magis magisque dis-*  
*fundet in cordibus vestris charitatem.* Quod ne  
 quis ex Aristotelis regalis de veritatibus mo-  
 rum formandorum dumtaxat intelligendum  
 esse contenderet. Augustinus ipse ad veritates  
 maximè theoreticas, quae de Deo creduntur,  
 ethi non intelligantur, extendit: *Sic, per*  
*charitatem videlicet, fiet, ut à Doctoribus exte-*  
*rioribus illa discatis, qua noluit Dominus tunc docere;*  
*sed hinc omnes docibiles Deo: VT EA IPSA;*  
*QVA PER LECTIONES ATQVE SERMONES*  
*EXTRINSECUS ADHIBITOS DIDICISTIS,*  
*ET CREDIDISTIS DE NATURA DEI NON*  
*CORPOREA, NEC LOCO ALIQUO INCLUSA,*  
*NEC PER FINITA SPATIA LOCORVM QVA-*  
*SI MOLE DISTINCTA, SED VBIQUE TOTA*  
*ET PERFECTA ET INFINITA, SINE NITO-*  
*RIVIS COLORVM, SINE FIGURIS LINEA-*  
*MENTORVM, SINE NOTIS LITTERARVM,*  
*SINE SERIE SYLLABARVM, IPSA MENTE*  
*CONSPICERE AC PERCIPERE VALEATIS.*  
 Quod alijs in locis ad alia quoque altissima  
 mysteria ipsamque arcanum sanctissimae Tri-  
 nitàtis extendit. Charitas enim hoc ipso quo  
 Christiani animum à creaturis revocat, & at-  
 tollit in Deum, oculum cordis à terrenarum  
 cupiditatum fumis ac tenebris purgat, quibus  
 cor hominis obscuratur & obtruncat, ne  
 revelata mysteria possit intelligere. *Quanto ma-*  
*gis magisque cor dirigitur (nempe retorquendo*

illud per charitatem in Deum) tanto magis vi-  
 det quod non videbat, & valet quod non valebat. Et  
 in sermonibus de diversis: *Videte vis? Beati*  
*Serm. 12. de*  
*mundo corde, quia ipsi Deum videbant. Prius ergo*  
*cogita de corde mundando. Hoc habito negotium, ad*  
*hoc te advoca, nisi hinc operi. Quod vis videre*  
*mundum est; immundum est unde vis videre. Quis*  
*autem dubitet charitatem veritatis, hoc est,*  
*Dei, esse quae mundat cor? Nam ut idem*  
*Sanctus ait: Veritas mandet, vanitas inquinat.*  
 Et rursum: *Secundum præceptum est dilectio veri-*  
*tatis, cui contraria est dilectio vanitatis.* Nam quia  
 omnes cupiditates terrenae tenebrae sunt,  
 charitas quae cupiditati capitaliter contraria  
 est, tenebras istas pellit, ut in ejus lumine  
 lumen aeternum, quo cuncta collustratur, cernere  
 possit: *Fugatis, inquit, tenebrae fumo sicuti cu-*  
*piditatum videbitis lumen.* Et in libro secundo de  
 sermone Domini in monte, clarius modum,  
 quo hoc efficitur, explanans, obtenebratio-  
 nem cordis, & illustrationem cordis præcla-  
 rissimè tangit, primumque dicit, Deum sem-  
 per paratum esse dare suam lucem nobis non visib. lem  
 sed intelligibilem & spiritalem: sed nos non sem-  
 per paratos esse accipere, cum inclinamur in illa,  
 & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Hinc  
 docet ex opposito tenebras illas fugari ipsa  
 conversione mentis in Deum; *Qua sit, inquit,*  
*purgatio interioris oculi, cum excluduntur ea, quae*  
*temporaliter capiuntur, ut acies cordis simpliciter fer-*  
*re possit simplicem lucem divinitus sine ullo obscuro*  
*aut immutatione fulgentem; nec solum ferre, sed*  
*etiam manere in illa; non tantum sine molestia, sed*  
*etiam cum ineffabili gaudio.* Itaque magnopere  
 præposterum est, quod homines, qui aethere  
 terrenis cupiditatibus tenebrofi, oculos ad  
 mysteria divina caecos afferunt, scrutari, in-  
 telligere, penetrare, definire conantur, an-  
 tequam illa lux arcana, quam vitae sanctas  
 parit, in eorum cordibus oriatur; non mi-  
 nore profectio superbae praesumptionis, quam  
 temeritatis exemplo. Nonne iniquitas, inquit  
 Augustinus, *ne istam lucem videre posses, premi bar?*  
*Quid ergo? Cor saucium levabis ad Dominum?*  
*Nonne prius sanandum est, ut videas? Nonne super-*  
*bis invenis, cum dicis primo videam, & sic credam?*  
 Sub (credere) autem in eodem loco vitae bonae  
 seu charitatis præcepta comprehendit, quia  
*Jesus ex fide vivit.* Unde alibi definit generali-  
 ter, quod tempus fidei (hoc est hujus vitae)  
 cum aequitate vitae aeternae, impetrat intellectum sta-  
 bilis sapientiae, *ut non solum credendo, sed etiam in-*  
*telligendo disciplina firmetur.* Nulla vero aequi-  
 tas vitae habetur, aut haberi à quoquam po-  
 test juxta solidissimam præceptoris hujus do-  
 ctrinam, nisi eam charitas impetierit ac  
 donaverit. Ideoque nihil etiam in scriptis  
 ejus familiarius & pervagatius, quam intellu-  
 ctum earum rerum, quae per fidem credende  
 proponuntur, etiam in hac vita esse præmam  
 fides; juxta id quod ex Isaia juxta Septuaginta  
 Interpretes allegare solet: *a Nisi credideritis,*  
*non intelligetis.* Sub qua fide semper vitae san-  
 ctitatem complectitur, quae ex charitate prohi-  
 citur, & cordis tenebras fugat.

Ex

Ex istius igitur immobilis doctrinae fundamentis expressa sunt illa sententia, quibus identidem charitatis vim, ad mysteria quae fides credit intelligenda & penetranda, consignat. Ut quando dicit Spiritum sanctum hominibus dari, ut ad divina & aeterna contuenda quodam amorem & charitatis spiramento & incendio rapiantur: Ut quando ad haereticos Manichaeos revelata fidei principia cum tanta cordis immunditia penetrare conantes dicit: Per charitatem pervenitur ad plenitudinem scientiae: Et ad

Lib. 2. de Gt. contra Manich. c. 23.  
Lib. 32. cont. Faust. c. 18.

veritatem, nisi per charitatem: Ut quando ad quolibet Catholicos dicit: Mores perducunt Te ad intelligentiam. Mores vero ex amoribus fluunt. Nec enim faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores; bonus autem amor, nemine dubitante Christiano, charitas est: Ut quando in libris de Trinitate dicit, fide flagrantem excitari charitatem: ut quanto flagrantius diligimus Deum, tanto certius sereniusque videamus. Quam ob causam subinde illustratorem pro charitatis, subinde lamnosissimam charitatem appellare solet.

## C A P U T O C T A V V M.

Quaestiones & veritates purè Scholasticae nihil cum cognitione charitatis commune habent, propter diversas causas. Praecipua in quae prorumpunt.

**I**AM ex Scholasticis quaero, utrum veritates illae purè Scholasticae, seu quaestiones illae strigosa, quibus universa Scholastica nunc ab omni parte plena est, primi generis earum quas ante diximus, an secundi sint? Et sane eas esse cogitationis prorsus humanae tetus, evidentissimo argumento est; quod nulla quaestio purè Scholastica tam stabiliter firmata sit, quin per adversarios novis opinionibus discrepantes labefactetur. Cur enim plerumque dissentiant, & à magistris discipuli, & inter se condiscipuli, nisi quia ut homines humanis sensibus & humanis ratiocinationibus, ex Philosophorum principijs, ista quarunt? ubi non raro adest & studium gloriandi, quo quisque alio sapientior & acutior videri cupit; nec sententiae quodammodo addictus alienae, sed sui dogmatis & opinionis inventor. Ut sane tot alterationibus atque dissensionibus, Philosophorum antiquorum saeculum, quorum principia sibi à teneris propinata imberunt, & vestigia terunt, revixisse videatur. Scholases enim habebant Philosophi penè innumerabilibus opinionibus dissentientes, ut Augustinus ait, & templa communia. Quae fluctuatio atque incertitudo inventa veritatis manifestè testatur, nihil huiusmodi speculationes commune habere cum illa directrice charitatis Evangelica cognitione; quae quamvis aliquid obscuritatis adjunctum habere possit, animos tamen suam infallibili certitudine tranquillos facit.

Lib. de vera Relig. c. 1.  
& lib. 18. de Civit. c. 41.

Enimvero quis sano iudicio dubitare possit, pleraque notitia genuinè Scholasticae, non nisi puras abstractions esse, depratasque Aristotelicae Metaphysicae eliquationes, quandoquidem de rebus supernaturalibus agatur? Nam in huiusmodi rebus neque ingenium suipius dux suo pro lumine esse potest, si verè supernaturales sunt: neque etiam Deum ducere potest, si sola mentis imaginatione huiusmodi sint, atque humana cogitatione satagete cudantur. Quid vero incongruentius, quam

res humana dumtaxat opinione supernaturales ex principijs Aristotelis purè naturalibus suspendere ac declarare velle, à quibus veritates fidei nostrae, quae verè supernaturales sunt, vel notorias exceptiones, vel certè novas inauditasque explanationes protulerunt? Nam ista principia naturalia: Quae sunt eadem univertio, sunt etiam eadem inter se: & Una subsistentia non potest duas perfectas naturas terminare: & Sive voluntate non potest esse peccatum, Trinitatis & Incarnationis, & peccati originalis mysteria, vel falsa esse, vel prorsus incognito Philosophis modo explicanda, monstrarunt. Quae proleto ratio est, ut huiusmodi cognitiones abstractivae, quas iste Philosophicus conatus parit ferè sursum haereant, ad instandū; nec in cor hominis Christiani ad extruendum charitatis aedificium delabantur.

Hoc enim veritatibus illis proprium & perpetuum est, quae per secundum, quem supra diximus modū intelligēdi mysteria accipiuntur. Principium quippe suae cognitionis non tam in cerebri subtilitate, quam cordis puritate defixum habent; ideoque non nisi in Sanctis atque simplicibus animabus inveniuntur. Unde omnes verè docti atque religiosi sciunt plurimas huiusmodi arcanas mysteriorum caelestium veritates à faemellis, idiotisque penetrari, ad quas nullā se Theologiae suae subtilitate attingere posse, cum admiratione profitentur. Nempe quia divinae illius ac luminosae charitatis foetus sunt; quae excessus, extales, liquefactiones, heroicis impetus parit. Haec est illa scientia Theologica, quam nobis Apostolus commendat ad Corinthios: In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia. Et iterum: Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei. Et ad Ephesios: In charitate radicati & fundati, quo fructu? Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiam

1. Cor. 1.

2. Cor. 4.

Ephes. 3.

scientiam

scientia charitate Christi. Et ad Romanos huiusmodi scientiam indicat ex dilectione velut fonte scaturire: *Et ipse plenus est dilectione; repleti omni scientia: Et beatus Petrus ex gratia: Crescite vero in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris IESU Christi. Gratiam nempe statuit istius fontem cognitionis.*

Consideret jam quisquis volet, utrum illæ purè Scholasticæ speculationes, quibus recentior multorum Theologia plena est, dilectionis istius heroicæ & ecclasticæ effectus aut causa sint. Arbitror enim difficile quemquam eorum, qui in ea versati fuerint, si sciant quid loquantur, aut de quibus affirmant, aliud sentire aut dicere posse, nisi sub illa scientia, de qua dicit Apostolus, *Scientia inflat*, hanc disciplinam, prout à multis tractatur, comprehendens esse, in qua eis quilibet, quod non sit expresse definitum, sustinere fas est, & multa jam olim definita, per ignorantiam antiquitatis, disputandi; nimiam libertatem sustinentur, in qua quoridie aliquod novæ quæstionis & opinionis monstrum nascitur, tantæque animositate defenditur, ut in calore disputationis, ad quælibet porius absurda, quam ad ignorantiam aliquam, vel solutionis alicujus dandæ imperitiam consistendam adigantur, in qua unus alterum ejusdem sodalitijs socium in eodem Gymnasio vellicat, censet, ac damnat. Quæ omnia disciplinæ charitatis & Christianæ, quæ suavis ac modesta est, adversantur.

Quod verò ex immoderata cupiditate mysteria divina penetrandi, & sine ullo limite perscrutandi, ista nascantur, manifesto indicio est, quod quotidie sine fine, non minus in praxi, quam theoriâ, quæstiones Theologicæ, & opinionum disensiones crescant. Unde factum est, ut quemadmodum in theoreticis, limites rerum verè divinarum transeundo, non semel in chimericis abstractiones inciderunt; ita in practicis, morales regulas agendorum simplices relinquendo, quas simplex & genuina ratio & antiqui Patres præscriperunt, tam laxas effecere conscientias, sub prætextu accommodandi sese infirmitatibus hominum, ut nihil opus sit, nisi sceleratior fieri homines, ut nova aliqua & licentiosa regula fabricetur. Nam in sæculo corruptissimo quamvis nonnulla peccata universa hominum commercia scædaverint, ad eas tamen angustias disputandi libidine redacta sunt, ut non nisi in Me-

A taphysica quadam abstractione salva esse videantur. Quis enim hoc tempore sit usurarius, si omnes abstractiones, & tentationes à Scholasticis aliquibus excogitatas noverit, & adhibere voluerit? Foro pulsa, vix in palestris disputantium adhuc vivit. Dies me deficeret, si luculentissimos campos aperirem, quos contractibus, matrimonijs, libidinibus, ambitioni, singularibus certaminibus, alijsque non paucis flagitijs & facinoribus quidam aperuerunt. In quæ præcipitia non abripiat mentes terrenarum rerum cupiditate stimulas illa cujusdam Recentioris regula, quæ decernit, quod si cui ratio erronea dicitur aliquid esse peccatum, ex alia tamen parte vellet facere, licite deponit istam conscientiam absque ulla alia ratione, etiamsi ex impetu vel libito fiat? Iam penè quilibet fecit licitum regula de opinione minus probabilis sequenda etiam contra propriam opinionem, quam veram putes?

B Iam enim in tanta opinionum varietate, vix aliquid in moribus tam absurdum est, nisi decalogum aperte feriat, imò etsi feriat, quod non factum sit probabile. Ut reverà plerisque Christianis scientia recentioris Theologiæ ad nihil perserviat, nisi ut sensa diversa diversorum suis apta cupiditatibus noscendo & sequendo, deposita Christianâ simplicitate virtutiores, & probitate nequiores fiant. Nam & eò impudentiæ ex illa eadem norma quidam profilierunt, ut cum religione quidam ductus, non auderet aliquid in alterius gratiam facere, quod sciebat in principia morum impingere, & à nullis auctoribus tanquam probabile assertum esse, responderit ei magister recenti Theologia expositus: Aude tantum, nos efficiemus probabile. Ecce excessus, in quos illa licentia indulgendi ratiocinationibus humanis, & Philosophiæ suæ prorumpit, quando divinissima mysteria imbecillium opinionum libidine & proprii sensus aleâ ventilantur. Quæ quidem non eò à me animo dicuntur, quasi propter quorundam abusum Theologiam Scholasticam fugillatam velim, quam ad pellendam tyronum ignorantiam methodi suæ luce & brevitate saluberrimè tradi scio. Non propter bonarum rerum abusum usui legitimo calumniandum est: nec industria humana in tradendis utiliter scientijs suffocanda est, quia limitem subinde prætergreditur; sed intra cancellos à veritate præscriptos potius revocanda.

## CAPUT NONVM.

Canceli Theologiæ Christianæ in Scripturis, Concilijs, & Patribus primorum sæculorum, per quos Deus Ecclesiam docuit, positi sunt.

Q VIS igitur limes, inquit, in Theologia Christiana, seu in rebus divinis more Scholastico pertractandis observandus est? Difficile terminum figi, non diffiteor. Et primò quidem non eò

A vecordiæ veniendum, ut cum hæreticis blateronibus Scholasticam doctrinam, ut jam dixi, universam respuamus. Ignorant nempe tenebriones illi, non aliud Scholasticâ nisi methodicam divinarum rerum tractandarum viam esse;

esse: quam nemo nisi vel impiissimus vel erroribus excecatus culpet. Ferrum est, quo impietas & error quivis divinae veritati adversarius praesentissimè juguletur. Siquid rubiginis humani ingenij inquietudo ei affricuerit, nemo Scholastica, sed ingeniorum petulantia vitio verterit. Cancelli igitur non alij, meo iudicio, Theologiae Christiano Scholasticae ponendi sunt, nisi quos ipsum Deum ei fixisse, quisquis Christi fidelem se esse meminit, & perturbationum praepudicij vacat, arbitrabitur. Nam ex omnium Theologorum sensu Deus ipse principia scientiae rerum divinarum, quae ante in abditissimos recessus ab hominum cognitione abstrusae erant, nobis revelavit. Quicquid certè & infallibilis ex illis principiis, in modum primae, secundae, tertiaeque conclusionis, derivatum est, non nisi eodem auctore Deo Ecclesiae patefactum est, qui haereticorum errores, in ejus emolumentum vertit; ut eam paulatim efficeret exerrantium impugnatione doctiorem; *Multa quippe, inquit Magister orbis Augustinus, ad fidem Catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius praedicantur, & ab adversario nota quaestio, discendi existit occasio.* Itaque certissimus ille fuerit, se divinam tenere veritatem, qui animo recondiderit quicquid per idem oraculum Dei Catholicae Ecclesiae manifestatum fuit, ut capitalia principia divinitus revelata, & ab haereticis praeteritorum saeculorum impugnata tueretur. Vbi quidem consideratione dignum est, Deum in mysterijs suis declarandis non aliter assuisse Ecclesiae suae, nec ea diffusisse in multiplices conclusiones, nisi necessitate hoc ipsum postulante: idque magis, ut articuli illi capitales, in quibus velut semine continebantur, ab haereticorum petulantia defendi possent, quam ut hominibus, quibus magnoperè expedit, ex pura solaque fide vivere, clarior vberiorque cognitio afferretur.

*Lib. 16. de  
Civ. l. 2.*

Ex quo etiam per transfennam discrimen magnum aperitur, inter modum quo Spiritus sanctus divinarum rerum notitiam per os Ecclesiae suae diffundit uberiores, & eum, quo Scholastici multi eandem illam cognitionem, per quaestiones suas sine termino multiplicatas, extendunt. Spiritus enim Dei per os Ecclesiae, vix, nisi cogente, ut dixi, haereticorum petulantia hoc facit, quorum insultatio non aliter compesci potest: Scholastici verò illi nullam necessitate compulsi, sed solà plerumque quidlibet indagandi & resolvendi cupiditate. Deinde Ecclesia non hoc praecipue spectat, ut praecipuos fidei suae cardines novis definitionibus magis extendat, atque intelligentiae fidelium suorum exponat: sed potius ut eos novis istis definitionibus, ex quibus dilucidiores ac diffusiores fiunt, magis magisque muniat, ac defendat: illi è contrario hoc unicum plerumque in plena Ecclesiae pace spectant, ut veritatum divinarum termini

A proferantur. Nullam enim necessitatem praetexere possunt cogentium haereticorum, quibus potius pleraque difficiliora argumenta contra fidem nostram, curiositas quorundam Catholicorum in quaerendo ac disputando suppeditavit. Et quamvis in eo similes Ecclesiae videri velint, quòd nihil afferant nisi quod immediatè vel mediatè ex principiis revelatae cognitionis derivetur, imensa tamen seges conclusionum ab ijs tam procul distita est, ut impossibile esset Angelis, qui, ut aiunt, omnes conclusiones in principiis intueri solent, conjunctionem earum cum ipsidem principiis revelatis ingenij vivacitate consequi: & facile esset hominibus, qui per conclusiones ad principia ascendere conantur, ad principium aliquod naturale, à quo dependeant, & in quo recumbant, ascendendo pertingere, antequam ad cacumen revelati principij, quod quaerent, pervenerint.

B Itaque ut vagae disputantium libertati, & infinitis quaestionibus atque conclusionibus, quas phantasiae & intelligentiae vicinitas aut similitudo parit, statuatur aliquis modus, certique limites cognitioni rerum divinarum, quam Deus habere nos cupit in hac vita, collocentur; non alios, nec alibi cancellos quaerendos aut figendos esse puto, quam qui libris illis comprehensi sunt, in quibus principia revelatae cognitionis immediata, & mediata, primaria & secundaria, itemque tota conclusionum haecenus inde per Spiritum sanctum derivatarum, hoc est, definitionum novarum series continetur. Quod ut apertius breviusque dicam, arbitror sacrae Scripturae libris, Concilij, & primorum saeculorum Patribus nos contentos esse debere, in quibus tantam divinarum veritatum copiam offendemus, ut sine magna intelligentiae fatigatione, solà poenè memorià satagente, totius vitae cursus capiendis omnibus vix sufficiat. Quas quia non minus certi & securi erimus, à Dei spiritu aut instinctu profluxisse, quam ceteras à tanta prerogativa esse removendas, solida inde occasio dabitur nobis admirandi atque amandi Dei, qui nobis tam uberes divinae cognitionis fontes aperuerit. Ex quibus quidem tanto avidius nobis, constantiusque bibendum est, quòd nemo inficias iverit, rivulos praefontibus esse spernendos: & propria Scholasticorum confessione constat, neminem in Scholastica Theologia consummatum esse posse, nisi ei terendae vitam impenderit universam. Et quid supererit, quod divinissimis istis libris volvendis temporis aut otij tribuatur? Cùm ergò alterutrum eligendum sit, quis non perspicue videt, quoniam salubrius labor noster majorique cum fructu convertendus sit? Nam & hoc apud Scholasticos plerisque in confessio est, difficillimè, aut nullo pacto fieri, ut qui in Scholastica Theologia praecelluerit, in positiva, quam vocant, simul primas ferat; atque hoc in sancto Thoma & Caetano demonstratum esse. Quod quidem ab ijs nos sine magna ratione dici-

35  
dicitur. Nam in altera earum perpetuis Me-  
taphysicæ abstractionibus uti oportet; in al-  
tera iudicio tantum sano, animoque docili,  
ut divinas institutiones, quæ non nisi verbo

<sup>A</sup> Dei, & instructioni divinitus datæ tanquam  
principijs nitatur, fideliter capiat, ac debita  
cum submissione veneretur.

## CAPVT DECIMVM.

Quid moverit auctorem, ad indagandam veritatem de gratia & præ-  
destinatione, ex Concilijs & Augustino.

**Q**VAPROPTER, ut ad intermis-  
sum capite quarto orationis meæ  
filium, ex illa longa quidem, sed huic  
argumento non importunâ digres-  
sione redeam, cum ego jam olim paulò at-  
tentius considerassem, in ista controversia de  
gratia Dei, qua totius penè orbis Christiani  
Doctores tanto disceptandi fervore consi-  
gunt, non aliud quæri, quàm quid sacra  
oracula de divinæ gratiæ adiutorijs revela-  
verint, quid Concilia de talium oraculorum  
sensu definiuerint, atque imprimis quid ce-  
leberrimi gratiæ expositores ac defensores, ex  
quorum ipsissimis verbis oraculorum Dei  
atque Ecclesiæ sensum complectentibus ipsa  
Concilia suas definitiones formaverunt, in  
operibus suis de eadem illa Dei gratia scripse-  
runt, prædicaverint, inculcaverint: valde præ-  
posterum mihi visum est, ex Aristotelis vel  
Commentatorum eius principijs, quæ de concu-  
rsu primæ causæ, de indifferentia volun-  
tatis liberæ, & ejus in actum secundum ex-  
tractione ac determinatione, de habituum  
naturis, de potestate voluntatis in affectus  
animatorum, & similibus, vel insinuarunt vel  
tradiderunt, ad istam litem dirimendam tantâ  
pugnacitate contendere. Nam arcanus ille  
concurfus divinæ gratiæ, & à concursu natu-  
rali, & à connaturali operandi modo humanæ  
voluntatis à Philosophis agnito, multum di-  
screpat; & violenti impetus concupiscentialis  
rixæ diversarum passionum longè potentius  
imperium exercent in liberum voluntatis ar-  
bitrium, quàm genium Philosophi putent.  
Nam ex partibus Philosophiæ Aristotelicæ prin-  
cipijs, tota hæresis Pelagiana & Semi-Pela-  
giana fabricata est, prout etiam tunc subodo-  
ratus fueram. Quibus non mediocri animad-  
versione & sollicitudine tractatis, & quanto-  
perè Scholastici plerique limites Christianæ  
Theologiæ fixos, prætextu subtilitatis excede-  
rent, omnino iudicavi in modo inquirendæ ve-  
ritatis istius difficilis & arcanæ esse peccatum.  
Cum igitur desperarem ad liquidam istius  
quæstionis difficillimam intelligentiam istâ me  
viâ pertingere posse, in quâ non minimam  
ætatis partem triveram; multaque Scholasti-  
corum scripta lustrando pererraveram; ipsos  
Ecclesiasticæ veræque Theologiæ fontes ad-  
eundis mihi, consulendosque censui, Scriptu-  
ram, Concilia, sanctos Patres, quos hæc de  
re totius Ecclesiæ testimonio castè sensisse &  
scripsisse retinebam. Inter quos Augustinus  
longè primas in hoc argumento ferre, non se-

<sup>A</sup> mel in illa Academia intellexeram, quæ ab  
incunabilis suis eruditissimum sanctissimumque;  
Doctorem istum sibi præcipuè sacre Theolo-  
giæ ducem non immeritò delegisse sibi vide-  
tur. Quod quamvis tunc potius Magistro-  
rum meorum auctoritate ductus crederem,  
quàm experientiâ comperissem, fides tamen  
illa & reverentia, quâ Doctorem istum vene-  
rabar, apud me satis erat, ut ad laboriosis-  
simam istâ provinciam subeundam me accin-  
gerem. Itaque venerabilem stylum ejus ar-  
ripui, nullisque tædijs aut laboribus territus,  
volutationi & lectioni assidua universorum  
librorum ejus, iterum iterumque sapius re-  
petita, per viginti duorum annorum spatium  
immerfus fui, hoc unicum spectans, ut ultima  
primis diligentissimè conferendo, dispersasque  
sententias, quas hîc illic in Scholasticorum  
scriptis legeram, corpori unde avulsa erant re-  
stituendo, genuinam doctrinam ejus, quan-  
tum luminis mihi Deus daret, radicatus intel-  
ligerem, & medullitus imbererem. Subinde  
expavi, fateor, plus quàm dici potest, cum  
liquidissimè cernerem, quanta absurditate  
gravissima doctrinæ capita in sensus alienissi-  
mos à Recentioribus quibusdam obtorto col-  
lo traherentur; quanta cæcitate nonnunquam  
disputationes ejus pro assertionibus, errores  
quidam Pelagianorum ab illo plus quàm de-  
cies proscripti, pro Augustiniana veritate; in  
objectiones hallucinantium pro solutionibus  
respondentis acciperentur: quas tamen velut  
imas, & primas, & immobiles bases doctrinæ  
suæ de gratia Dei discipulis propinata collo-  
carunt, ut nemini dubium esse possit, quàm  
enormium conclusionum exorbitatio ex istius-  
modi principijs nasci deberet. Incredibile hoc  
modestus quisque lector arbitrabitur, sicut &  
ego ipse primò obtutu olim arbitrabar: sed  
res ipsas inferius diversis locis de se loquentes  
patienter expectet. Ego interim prodigiosi  
istius ingenij sublimitatem, eruditionis alti-  
tudinem, doctrinæ callitatem nunquam satis  
mirari poteram. Quo fiebat, ut pondus au-  
ctoritatis ejus in animo meo multum cresce-  
ret, & non sine causa in Ecclesia Catholica,  
maximum gravissimumque semper fuisse, at-  
que esse debere judicarem. Et quia causæ ejus  
non omnibus perspectæ sunt, & ad causæ mo-  
mentum, quam suscepimus, non mediocriter  
faciunt, veniam spero mihi pius Lector dabit,  
si aliquid paulò latius de sanctissimi atque  
eruditissimi Doctoris hujus laudibus balbu-  
tiendo deservero.

B

CAPVT

CAPVT XI.

Deus non minùs mirabilis in innumerabili varietate mundi incorporei, quam corporei, hoc est, iustorum, quam rerum naturalium: quarum ultimæ differentiarum & perfectionum fibræ, ideoque & Augustini, latent.

QVISQVIS attentiori animo divina potestatis mirabilia contemplari volet, suspensus hæere cogitur, utrù cœlestis illa mens in huius mundi corporei an incorporei molitione mirabilior; an quâdo hunc mundû cõspicibilem in nihilo, an verò quando Ecclesiam suam, in hoc ipso fundavit mundo, magnificentiõr apparuerit. Nam quemadmodum cœli terræque machinam innumerabili multitudine specierum implevit, ac varietate distinxit; ita Ecclesiam suam spiritualium creaturarum incredibili numero atque ineffabili diversitate locupletavit. Ipse est enim populus ille novus, ac semen cui benedixit Dominus: cuius tanta multitudo est, ut instar montis magni impleverit universam terram; atque instar vineæ ad dexteram levamque penetrantis palmites suos, non usque ad mare tantum, ut Propheta cecinit, sed longè latèque ultra mare diffuderit: tanta verò varietas, ut & florum, & stirpium, & animantium diversorum, quæ terræ marique vigent numerum, adeoque creaturarum species omnium longè superet. Sed eò magis miranda est ista iustorum hominum varietas ac differentia, ex quibus Christi Ecclesia constituitur, quòd gratia Dei, quæ spiritualis istius mundi quasi essentialis forma est, naturamque humanam & Angelicam velut propriam suam materiam ornando potiendoque perhibet, unica dumtaxat in specie sua, & uniformis esse videatur. Veruntamen qui paulò accuratius rerum creaturarum penetralia perscrutantur, hanc sublimitium naturarum indolem esse putant, ut quòd quæque magis à matetie forculentia recesserit, divinaque simplicitati, tanquam spiritualium rerum apici propius accesserit, eò longius quoque ab isto esse contracto, terminato, singularique separatur: quod ex materia, ut volunt, natum, unitatem in multitudinem, naturalisque specierum in singularia sine fine dispefcuit. Quamobrem cum illa iustarum creaturarum forma gratia Dei sit quedam viva effigies divinitatis unitate sua fecundissimâ formantis omnia, quantumvis essentijis viribusque diversissima esse videantur; quid mirum, si quilibet istius gratiæ gradus cum omnium creaturarum formas naturæ sublimitate, & agendi facultate præcellat, unumquemque iustum tanquam uni-

acum, Angelorum instar, in sua specie constituat: ut ita quot sunt iusti in Ecclesia, tot veluti soles ac sidera in cœlo splendeant, quæ suo quæque lumine, magnitudine, viribus, influentijs discernantur? Hoc enim Scriptura sacra insinuare nobis videtur, quando tories Regni colorum nomine Ecclesiam nuncupat; hoc quando canit: *Affuit Regina à dextris tuis*, in *Psalm.* *resurre deaurato, circumdata varietate*: hoc quando Propheta vaticinatur: *Fulgebunt quasi stelle in perpetuas æternitates*: hoc denique univrsulum ipsius Ecclesiæ corpus clamat, in quo suis quique hierarchijs ordinati, tot Viduæ, Virgines, Anachoretæ, Monachi, Confessores, Doctores, Pontifices, Martyres, Propheta, Apostoli numerantur: quorum singulis, cum singularem quandam in se tanquam specie differentem divinæ gratiæ prerogativam quibusque præferat, & ostendat, licebit illud Sapientis accinere: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.*

Sed quæ in naturalium rerum ordine nihil inter omnes difficultatum anfractus magis caliginosum ac difficile est, quam ad extremas differentiarum fibræ, quibus res à re discernitur, intelligendo penetrare; quis tandem in hoc ordine multiformis gratiæ Dei, dotes ultimæ atque individuas unicuique iusto proprias indagaverit? Sin autem hoc nimis operosum est, humanoque ingenio, quamdiu corpus quod corrumpitur aggravat animam, impenetrabile, quis aliquâdo sancti illius ornamenta, dotes, prerogativas accuratè disseruerit, qui primum sibi ordinem in unâ exprimis hierarchiâ Ecclesiasticâ, quæ Doctoribus attributa est, totius Ecclesiæ iudicio vendicavit?

Quapropter satius fortassis esset, quod in divino cultu probari solet, hunc sanctum religiosum quodam admirationis silentio, quam impolito ac sterili eloquio celebrare: cum inter omnes Ecclesiæ Patres ac Doctores unus ille sit, cui æquiore jure istud encomium tribuatur: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno colorum.* Etenim si naturâ ita comparatum est, ut causarum suarum vires effecta testentur, profectò sanctitatis ejus magnitudo, ac dorum excellentia ex præstantis doctrinæ raritate, & ex agendi vivendique disciplinâ ponderanda est.

CAPVT

CAPVT



CAPVT XII

Augustinus quatuor Capitales Christianismi veritates contra quatuor potentissimos errores fundavit; unitatem Capitis Ecclesie, unitatem corporis, unitatem Sacramenti incorporationis, unitatem gratie; ostenditur de tribus primis.

Hic est enim ille, qui quatuor principia veritatis dogmata, tanquam quatuor generalia Christianae doctrinae capita & principia, totidemque fluvios paradisi fundavit ac stabilivit. Quae cum ante ipsum humili potius fidei simplicitate, quam intelligendi perpicacia tenerentur, quatuor potentissimis erroribus occasionem obscuritate sua praebuerunt, ut quadruplex Religionis nostrae fundamentum ingenti ausu & molimine concuterent; unitatem Capitis, Filij Dei; unitatem corporis ejus, Ecclesiae; unitatem Sacramenti incorporationis, quod est baptismus; unitatem ac veritatem vitae, hoc est, gratiae per Christi crucem datae, qua corpus hoc ab illo capite vegetatur, & sine qua lex nova nihil veteri antecelle-

2 In Apol. 2. & Dial. cont. ret.

Trigon. b. 5. cap. 1. lib. 3. c. 6. lib. 4. c. 23. c. lib. 1. p. 1. c. 7. d. lib. 2. cont. Marc. c. 27. c. lib. 3. c. 9. c. lib. 2. ad Iovin. c. 5. c. 19. f. lib. 4. cont. Arian. c. apud eundem lib. 4. ad Theop. g. lib. 1. Hist. c. 2. h. Hilari. lib. 4. c. 5. de Trinit. i. lib. 4. c. 5. cont. Euseb. k. Homil. 16. in actus A. post. l. in Aucto. rit. n. 29. c. 39. m. Lib. de filij. Ervin. c. 8. n. 2. lib. 5. in Euseb. c. 10. p. 1. o. Conc. Sirm. Can. 15. 16. epud Hilari. lib. de Synodis.

luctatum esse, sed Deum inaccessibilem, sive Patrem quemadmodum apud sanctum Hilarium videre licet. Hinc ergo continuo sectarij inferebant, ex istorum Patrum auctoritate, Filium Patre minorem esse, quod visibilis factus, internuncij vice ad homines pro Patre per tot saecula functus esset. Hac, inquit sanctus Ambrosius, est causa erroris, hac origo haeresis Arianae. Quod & Athanasio, & Gregorio Nazianzeno, vel ijs certe, qui librorum ad Theophilum & orationis quadragesimae nonae apud Nazianzenum auctores sunt, tan- toperè placuit, ut haec eadem verba vel Ambrosio praeformaverint, vel ex Ambrosio in sua scripta transfulerint. Cum igitur istud ex Ambrosio praecipitatore suo didicisset Augustinus, adversus constantem praecedentium sententiam, magno ausu, majore constantia subnixus, scripturarum pondere, & rationum gravissimam acumen ac texturam, primus panis velis in libris de Trinitate demonstravit, omnes apparitiones illas veteris Testamenti non Deo, sed Angelo esse tribuendas. Quae causa fortassis fuit, cur libros illos tot annis suppresserit, ne forte nimis praecipiti audacia illam tot Patrum antiquorum sententiam, atque unam praecipuum Arianorum praesidium subvertisse videretur.

Quod ad secundum attinet, unum illud brevitas causa suffecerit; Augustinum esse, qui veritatem de Ecclesia Catholica, qui notas ejus, quibus tanquam vivis coloribus insignita dignoscitur, qui officia, potestatem, praerogativas, omnesque dotes ejus tanta ubertate diduxit, tanta luce declaravit, tot scripturarum rationumque vinculis, veluti Dei tabernaculum contra omnium tempestatum impetus munivit, ut & praecedentes Optatum ac Cyprianum tanto intervallo post se reliquerit, quanto prima embryonis lineamenta, jam editus in lucem factus; & posteriorum nemo, sive Patrum, sive Doctorem, quicquam alicujus ponderis protulerit, quod non eis Augustinus praeformaverit. Ille quippe nunc omnium in Ecclesia tuenda solertissimus est, qui Augustini nervos intendere, & Augustini arma tanquam Herculis, Christiani clavam, in adversarios intorquere didicerit.

De tertio, videlicet baptismo, quo incorporamur Ecclesiae, hoc unum aio; Augustinum esse, qui primus inter omnes Patres veritatem, unitatem, necessitatem, & energiam baptismi-

B 2

Amb. lib. de Filij divinit. c. 3.

Vide ista verba apud Athanas. lib. 3. ad Theophil. & apud Nazianzeno.

Handwritten text on the right margin, possibly a library stamp or reference.



baptismatis viâ omnibus antegressis inuistatâ & ignotâ stabilivit, non ista omnia pondere Scripturarum astruendo, quod ante ipsum Optatus Milevitanus infeliciter tentaverat; sed solâ Ecclesiæ autoritate, atque traditione. Quod ita luculentè præstitit, ut quicumque

cum tempore subsecuti sunt, nihil magis contra sui temporis hæreses opponere poterint, quod non ex Augustino compilassent. Neque mirum sanè, cum illi, qui doctrinam ejus medullitus imbibierunt, profundius hoc Sacramentum penetrasse videantur.

## CAPVT XIII.

Item de quarto. Primus Augustinus intelligentiam divinæ gratiæ & novi Testamenti fide crediti aperuit fidelibus, & Ecclesiæ.

**D**E quarto divinâ gratiâ, quid dixerit? Imò verò quid non dixerit? Augustinum esse, qui Christi gratiam fundamentum Religionis Christianæ, quemadmodum eam ipse non semel vocat, sine quâ vita, passio, mors, & resurrectio Salvatoris evanesceret, primus in Christianorum intelligentia fundavit. Cujus veritas ante ipsum tantis tenebris involuta, tot sinuosis anfractibus latebrosa, tot inexplicabilibus laqueis impedita fuit, ut illi uni debeamus, si quid recti de isto ligno vitæ, de isto manna abscondito, de ista vita nostra ex mortuis, de secretis vitæ æternæ, quam gratiam Apostolus dixit, intelligendo assequimur. Ut non immeritò dici queat, id in explicatâ divinæ gratiæ publicatione præstitisse sanctum Augustinum, quod in propalatione divinitatis verbi Dei Joanni Evangelistæ tribui solet. Ut enim ille in scriptis suis, inter Apostolos & Evangelistas primus, clarâ prædicatione divinitatem Verbi Dei intonuit: *In principio erat verbum*, quantumvis alijs Apostolis ante ipsum ea fuisset revelata: ita licet Patribus antiquioribus divina gratia in fide, & oratione, & actione, agnita fuerit, primus tamen Augustinus id, quod in eorum fide ac disciplina latebat, aperuit, thesaurosque gratiæ ac charitatis absconditos fidelium intelligentiæ patefecit.

Joan. I.

Jerem. 31.  
Aug. lib. de  
Spiritu & lit.  
c. 19.  
Joan. I.

Iam verò cum gratia Christi ipsum novum Testamentum sit: *Hoc est enim, inquit Propheta, pactum, seu ut Augustinus legit, Testamentum quod feriam cum domo Israël, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Et: *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per IESUM Christum facta est:* nonne jure merito dixerimus, primum esse inter sanctos Patres Augustinum, qui novum Testamentum Christianorum intelligentiæ divulgaverit? primum qui Dei benignitatem erga peccatores ineffabilem, qui gratiæ efficaciam in solatium amoris, & in exitum erroris, toti mundo insinuaverit? Nec verò nudis tantum ac simplicibus enuntiatis usus, quemadmodum auctoritate suâ Apostolus fecit, ut fidei de Christi gratia fundamenta collocaret: sed innumeris discursibus, quic-

quid clausum tegebatur, ingenio certè non humano, sed per illud: *Tolle, lege*, divinitus illustrato, posteritati tantâ ubertate reclusit, ut sicut Augustini documentis de Ecclesiâ nihil omnino lucis posterorum labor adjicere potuit; ita tota latitudo veritatis de gratia & quicquid ex Scripturis per humanam industriam divinitus in terris accensam educi potuit, hujusce profundi Doctoris monumentis comprehensum sit. Nihil enim tanta posterorum consuetudo tam uberi fonti hæcenus adjecit, nisi multarum repugnantium opinionum farraginem, ex quibus non nisi vnam, vel fortasse nullam veritas probet.

Quæ quidem si ita sese habeant, quemadmodum se habere veritas clamat, duo profectò consecranea sunt, quæ magnitudinem sancti Augustini pœnè supra fidem efferunt. Vnum est, quod cum Ecclesiæ sit, articulos fidei ab hæreticis impetitos, vel per hominum negligentiam obscuratos, Christianis proponere & exponere, hoc ipsum vice versâ (Deo vas illud electionis in hoc opus à matris utero segregante) in difficultatibus Dei gratiam attinentibus toti Ecclesiæ præstitit Augustinus. Alterum ex priore nascitur; quòd cum in omnibus Capitibus Christianæ Religionis, dum ab hostibus impugnantur, omnes Doctores quaquaversum dissuli scientiam suam, ultimumque veritatis decretum ab Ecclesiâ derivare consueverint; hic è contrario Ecclesiâ non eam ex omnibus Patribus ac Doctoribus, quos in definiendis controversiis consulere solet, sed ex uno solo hauserit Augustino. Quod profectò vererè dicere, nisi inter peritos constaret, omnia Synodorum decreta, quibus & olim veteres Tenebriones hostes gratiæ in Carthagenensî & Arausicanâ, & hoc sæculo novos in Tridentina prostravit, verbotenus ex Augustini sententijs esse formata: quas dogmaticas & canonicas habendas esse, tota Ecclesiâ judicavit. Quæ quidem eadem auctoritate suâ reliqua ferè universæ doctrinæ capita, quæ de Dei gratia tot voluminibus tradidit, si fuisset opus, definire potuisset. Nam ex illis quæ definiuit, cætera tam arcto nexu religata sunt, ut una sine alteris salva esse nequeant, quemadmodum suo nos loco dicturi

33  
 dicturi sumus, atque ostensuri plerasque controversas de quibus hoc seculo animosissime contenditur, ab Augustino & Ecclesia tanquam fidem Catholicam fuisse definitas. Nec enim Augustinus doctrinam de gratia Dei, tanquam ab alijs aut se inventam opinionem tradidit, ut

A hoc tempore in præcipuis quæ de illa ventilarunt difficultatibus putant; sed tanquam doctrinam Evangelicam & Apostolicam, cui nemo posset sine fidei Catholicæ læsione refragari.

## CAPUT XIV.

Augustini doctrina de gratia Dei, Evangelica, Apostolica, Catholica, & irrefragabilis auctoritatis; totius Ecclesiæ nomine scripta, silentibus Scriptoribus universis.

Hæc igitur causa est, cur Prosper doctrina non minus quam sanctitate celeberrimus, doctrinam Augustini, de gratia Dei tanquam Evangelicam, Apostolicam, Catholicam, cælestis & irrefragabilis auctoritatis passim prædicet. Nam in Epistola ad Rufinum, vocat Augustinum summum illi tempore in Ecclesia virum; excellentissimam auctoritatem virum; præstantissimum ministrum gratiæ. Ad cuius librorum lectionem hortatur Rufinum, ut in conficienda Dei gratia desecratissimam ac saluberrimam Evangelicam, Apostolicamque doctrinam intelligentiam consequatur. Et ad ipsum Augustinum de gratia scribens, dicit sectatores Augustini, sanctam atque Apostolicam doctrinam ipsius auctoritatem sequi. Et alibi tanquam rem vulgo notam proficitur: Romanam, Africanamque Ecclesiam, & per omnes mundi partes universos promissionis filios cum DOCTRINA HVIVS VIRI, sicut in tota fide, itam GRATIÆ CONFessione CONGRVERE.

A Dei à duobus ei Concilijs Africa Carthagenensi & Milevitano imposita fuit, prout ipse testatur ad populum Hipponensem dicens: Curam scripturarum mihi, fratres & patres mei Co-Episcopi, duobus Concilijs Numidicæ & Carthagenis, imponere dignati sunt. Quod ab orbe Christiano universo rebus ipsis magis quam verbis approbatum fuit. Nam ipse scribente contra Pelagianos, usque ad mortem siluerunt universi. Ipse sanctus Hieronymus cum primum dialogos adversus Pelagium emergentem texere coepisset, simul atque profunda & sublimia Augustini scripta vidit, usque ad mortem silentio se damnavit, hæc usus modestâ sanè & verâ excusatione: Super sedendum esse huic labori, quia si nova, inquit, voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora. Quod omnibus illâ ætate in illa materia scriptoribus usque ad Augustini mortem accidit. Vnde & ipse summus Pontifex Bonifacius, hanc impositam Augustino provinciam suo calculo comprobavit, quando ipsemet, Augustino teste, Pelagianorum scripta ad se delata Româ in Africam ipsi refellenda transmisit. Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius, inquit Prosper, cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum beati Augustini Episcopi responsa poscebat.

Epist. Prosper ad Rufinum in fine.

Epist. Prosper ad Aug.

Epist. ad Rufin.

Epist. 116.

Dial. 3. hæc Pelag.

Testatur August. lib. 1. ad Bonif. c. 2. Prosper lib. cons. Collat. sine.

## CAPUT XV.

A Romanis Pontificibus Innocentio, Zozymo, Celestino, Leone, Hormisdâ, Felice secundo, & Ioanne secundo magnificentissimè approbata, & consecrata.

Hæc etiam causa est, cur cæteri quoque summi Præsules Catholicæ Ecclesiæ, Romani, inquam, Pontifices sublimem doctrinam ejus de gratia Dei arctissimè amplexi sint, & mirificè commendarint. Nam sanctus Innocentius primus utramque Synodum Carthagenensem atque Milevitanam, & synodicas utriusque litteras, & prolixam epistolam nonagesimam quintam, quarum omnium Augustinus auctor, & duarum scriptor fuit, & librum ejus de natura & gratia, in quibus omnia, aut pænè omnia Ca-

A pita doctrinæ ipsius de gratia Dei, aut breviter perstringuntur, aut latius pertractantur, peculiaribus ad omnes respondens litteris, & approbavit, & Catholicæ fidei plena censuit, & magnoperè celebravit. Vnde sæpius dicit se à scribendo temperare, eò quod cõsuet eos cuncta dixisse: nihil ab eis esse prætermisum, nihil suppressum: Eorum relationem scripturarum testimoniis esse plenam, & satis constare, ut doctissimos Sacerdotes cuncta dixisse. Nec decet, inquit, credere, vos aliquid, quod ad causam posset proficere, præterisse. Et peculiaribus Augustini respondens

Innocent. ad Synod. Carthag.

B 3

respondens literis, quibus librum de natura & gratia adjunxerat, ut à Romano Pontifice probaretur, utrum, inquit, etiam noster fons ex eodem quo rursus abundans emanat capite fluentorum, magnificè laudat literas à Concilii missas, & ab Augustino scriptas, tanquam lineas plenas fidei, & totaque religionis Catholicae vigore firmatas: earumque contusionem esse in consideratione quotidiana gratia Dei, & in eorum correctione, qui contra sentiunt, INTEGRÀ RATIONE CONSISTERE, ita ut integrum possint præbere Doctorem.

Hæc etiam causa est, cur Zozyms Papa Carthaginensem Synodum ipsius tempore celebratam, omnesque doctrinales Canones ejus, quos ex Augustini libris Antislites Afri ad Pelagianam hæresin jugulandam prompserant, suo calculo probaverit, & auctoritate roboraverit. Africanorum, ait Prosper, Conciliorum decretis beate recordationis Papa Zozyms sententia sua robur annexit, & ad impiorum detractionem gladio Petri dextera omnium armavit Antislitum. Quod & sanctus Leo fecit, dum servari præcepit omnia decreta Synodalia, qua ad excisionem huius hæresos Pelagianæ, Apostolica Sedis confirmavit auctoritas.

Hæc etiam causa est, cur Celestinus Pontifex, omnes præcedentium Synodorum Canones ex Augustini scriptis excerptos, & auctoritate conditos approbaverit: Africanorum Conciliorum quasdam sententias utique suas fecerunt Apostolici Antislites, dum illas comprobant, inquit ipse Celestinus: & de decretis contra Pelagianos exaratis Prosper: Prædecessorum suorum statuta & decreta Synodalia inviolabiliter servanda censebat. Sed & universa sancti Augustini scripta de gratia Dei magnificentissimo laudavit encomio, gravissimæque auctoritate comprobavit, ut nunquam vel rumore sinistrae suspitionis alicujus, quasi vel errasset, vel excessisset in tuenda Dei gratia vel deprimenda voluntatis libertate modum, aspersum esse declarat.

Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistra suspitionis saltem rumor aspersit: quem tanta scientia olim fuisse semper meminimus, ut inter magistros optimos, etiam à meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubi, ne cunctis & amori fuerit & honori. Quod elogium sanctus Prosper in sanctum Augustinum à Celestino collatum tradit, eò quòd quidam calumniatores, ut novas doctrinas suas ab Augustini auctoritate ac censura subtraherent, scripta ejus reprehenderent. Itaque librorum, inquit, qui errantibus displicebant, pietate laudatà, quid operiret de eorum auctoritate sentiri, sancto manifestavit

A eloquio; multumque miratur, quòd contra istam clarissimè laudatam, contra istam sacratissimi testimonij dignitatem, quo scripta sancti Augustini contra Pelagianos omnia ab Apostolica Sede probata sunt, audeat quisquam malignæ interpretationis maculam emittere.

Hæc etiam causa est, cur Hormisdas Pontifex, cum Possessorem Episcopum Africanum docere vellet, quid Catholica Ecclesia de Dei gratia & arbitrij libertate sentiret, remittat ipsum ad Augustini monumenta contra Pelagianos exarata, tanquam ad Catholicæ fidei armamentarium: De arbitrio tamen libero, inquit, & gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur & asseveret Ecclesia, licet in varijs libris B. Augustini, & maxime ad Hilarium & Prosperum possit cognosci; tamen in scriptis Ecclesiasticis expressa capitula continentur. Quæ capitula non sunt etiam alia, quàm quæ ex libris Augustini excerpta fuerunt, & Synodorum Africanarum & Apostolicæ Sedis auctoritate stabilita.

Hæc etiam causa est, cur Felix Secundus Pontifex ut quibusdam placet, cum Episcopos Galliarum de Catholica fide instructiores, & ad verius Pelagianam hæresin munitos reddere niteretur, ad secundam Arausicanam Synodum, ipsissimas sententias, ex Augustini libris à sancto Prospero jam olim excerptas, eodem ordine & verbis Augustini, quibus excerptæ fuerant, destinaverit, easque tanquam fidei Catholicæ regulam sanxerit. Continent autem medullam totius doctrinæ, quam sanctus Augustinus contra Pelagianam hæresin scripsit, quemadmodum semen totius arboris molem, quæ ex ipso prodit virtute mirabili completitur.

Hæc etiam causa est, cur Ioannes Secundus Romanus Pontifex sancti Augustini auctoritatem in usque elogio posteris consecrans, & à præcedentibus Pontificibus jam sæpius consecratam esse fideliter testans: Sanctus, inquit, Augustinus, cuius doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta, ROMANA SEQUITUR, ET SERVAT ECCLESIA. Quis unquam auctoris ullius scripta tot laudibus à summis Ecclesiæ Præsulibus cumulari vidit, tantæque auctoritate toties confirmari? Vt sanè post Canonicos scriptores nihil sanctius, nihil relictius, nihil Catholicæ fidei congruentius esse in Ecclesia ab ullo scriptore exaratum, quàm ea quæ contra Pelagianos ab Augustino scripta sunt, jure merito asseverare possimus; summulque Pontifex Clemens Octavus, non sine magna causa, doctrinam Augustini Ecclesiæ quasi dotem relictam esse asseruerit.

CAPVT XVI.

Quanta libertas & procacia quorundam recentiorum, in censa damnandaque Augustini doctrina, quam tantoperè Romana Ecclesia admirata est.

QVÆ quidem paulò latiùs huc adduximus, ut illa immoderatio quorundam recentiorum reprimeretur, qui cùm fortè animadverterent, non pauca doctrinæ capita, quæ magis ex ingenij subtilitate, quàm ex antiquorum auctoritate pepererunt, Augustino capitaliter aduersari, non solum cum priscis Augustini contradictoribus à Celestino compressis, p[er]simo disputatori obviare præsumunt, & tanquam necessariu[m] modum exceßerit in his ipsis materijs contra Pelagianos ventilatis obloqui non verentur, sed etiam ausi sunt nonnunquam inter suos dicere, multis erroribus involutum iri, qui Theologiam sancti Augustini vellet sequi, & scripto quoque subinde hanc immodestiam in gravissimis capitibus, quæ sanctus Augustinus contra Pelagianos asseruit, effuderunt. Aliquando enim doctrinam ejus de gratia sufficiente, quæ est una ex potissimis contra Pelagianos disputatis, philosophicâ libertate audacter abijciunt: Misi in hac parte non probatur doctrina beati Augustini: sed existimo aliter philosophandum. Aliquando temeritatem ascribunt ijs, qui Augustinum in hac eadem doctrina sequerentur: Vnde temerè affirmabimus illud auxilium aliquibus negari. Et ibidem confidenter: Ab Augustino, inquit, & alijs (Patribus) qui id docuerunt, petere possumus, undenam huius voluntati Dei certiores fuerint effecti? Loca enim Scripturæ non facile declarabimus. Quali verò non & hæretici, aduersus quos illud asseruit Augustinus, Scripturas eadem facilitate declarent. Itaque satis ibidem indicat Concilium Tridentinum ex modestia istam Augustini sententiam non damnasse. Aliquando ipsam Pelagianam hæresin quam damnavit Augustinus ex ejus doctrina de peccato originali sequi, & ad eam cogi sectatores Augustini profitentur: Ex ea opinione Augustini cogitur incidere in sententias Pelagij. Aliquando sententiam ejus de prædestinatione arguunt crudelitatis ac truculentia, ideoque tanquam desperationis occasionem & incentiu[m] despuunt. Aliquando apertè clamant se in eo Augustino aduersari, eius sententiam esse severam, & difficilem, & se consentire sententiæ Græcorum, Gallo[rum], & Massiliensium. Aliquando Augustinum sub caligine quasi constitutum non advertisse veritatem à recentioribus adinventam (quam tamen ipse multis in locis, ut videbitur, fortissimè refutavit) ideoque tam duras dedisse scripturarum expositiones. Aliquando novæ doctrinæ spiritu pleni, audent ac dicunt de suis sententijs divo Augustino in gravissimo do-

mate capitaliter repugnantibus: Quæ si data explanataque semper fuissent, sorte neque Pelagiana heresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent a se negare, obtinentes cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione coherere non posse; neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque desecissent; facileq[ue], reliquia ille Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi & Hilarij sit mentio, fuissent extirpata. Hæc est libertas spiritus recentiorum quorundam Scholasticorum, quidquid in Augustini doctrina contra Pelagianos exarata eorum palato non sapit, liberrimè respuentium; hæc modestia censorum sublimissimi Doctoris: quem ut omnis antiquitas admirata est; ita ipsi tantâ facilitate proterunt aut contemnunt, ut si ratiuncula suffragari videatur, faciliùs Augustinum everterent, quam sua sentia desererent; quamvis in alijs omnibus eum se revereri fateantur. Sic & olim illi, de quibus dicebat Hilarius ad Augustinum: Planè illud tacere non debeo, quod se dicant tuam Sanctitatem, hoc excepto, in factu & dictis omnibus admirari. Sed quàm bellè concinat ista censoriarum acrimonia, quæ potissima doctrinæ capita, quæ aduersus Pelagianos asseruit, de peccato originali, de gratia sufficiente, de tota natura prædestinationis, erroris arguuntur, cum tot elogijs antiquorum, quibus doctrinam ejus de gratia tanquam Evangelicam & Apostolicam celebrarunt; cum illis oraculis Pontificum Romanorum, quibus asserunt, quòd ejus doctrinam de gratia & libero arbitrio suam fecerint; quòd eam Romana sequitur & servat Ecclesia; quòd ex ejus libris cognosci possit, quid Catholica sequatur & assereret Ecclesia; quòd inter magistros optimos semper à Pontificibus Romanis habitus sit, propter scientiæ magnitudinem ac puritatem; quòd eum nunquam sinistra suspitionis vel saltem rumor asperlerit. Non enim animadvertunt recentiores isti, quia Augustini principia non satis penetrarunt, se in illis ipsis capitibus quæ impugnant, non opiniones Augustini, sed Catholicæ doctrinæ fundamenta, quæ Romani Pontifices ex Augustini libris hausta consecrarunt, vellicare atque concutere. Quod suo loco uberius demonstrandum est. Ut non injuriâ dicere possimus, eos verè gravissimam Apostolicæ Sedi injuriam facere, qui ullum articulum doctrinæ ab eo contra Pelagianos traditæ erroris insimulant, vel ab antiquorum Romanorum Pontificum successoribus, Pio V. aut Gregorio XIII. etiam

In Epist. Celestino ad Epist. Gall. Vespuz. 1. 2. Diss. 13. 3. Castellanus. Oxonius de Rubic. & alijs apud Vespuz. 1. p. Massiliensium. diss. 91. & 3. Atalina in concord. ad quest. 23. art. 4. & 5. diss. 1. memb. 6.

idem ibidem membro vit. Hilar. in Epist. ad August.

INVENTUM  
SICUTI



damnatum putant. Quasi verò veritas esse ab ejus auctoritate removeri deberet, vel Augustinus Romanae Sedi semper probatissimus, cum Romana Sede committi.

CAPVT XVII.

Naturalis & gratuiti luminis abundantia Augustinus omnes Scriptores Græcos & Latinos superavit.

**Q**VAPROPTER si quis pro dignitate divinum istud ingenium Augustini celebrare vellet, meritò mihi duo dicere posse videtur; quorum alterum naturam, alterum Dei gratiam spectat. Et primùm quidem verissimè meo iudicio statueret, nemini mortalium, qui ab Apostolorum, addo ab omnium Scriptorum Græcorum aut Latinorum temporibus, huc usque scriptis claruerunt, tam sublime, acutum, vastum, prodigiosumque ingenium divinitus obtigisse, quàm sancto Augustino datum fuit. Non hoc incertis conjecturis, non ex laudibus amantium favori ejus decantatis, sed ex propria viri modestissimi & humillimi confessione coram Deo teste veritatis fusà deprehēdimus. Quis enim nostrum vidit unquam aut expertus est, quis legit, quis famà audivit hujusmodi naturalis ingenij portentum, quo viginti ferme annorum adolescentulus Categorias Aristotelis, quibus eruditi etiam nunc, tanquam in nescio quid magnum ac divinum suspensi inhiantes, Commentarijs diversis obscuritates earum ac difficultates auditoribus discutiunt, legit solus & intellexit; & ita intellexit, ut ei apertè loqui viderentur, & ij, qui eas magistris eruditissimis multa in pulvere depingentibus penetraverat, nihil aliud ei dicere potuerint, quàm ipse solus apud seipsū legēs assecutus erat? Quo libros omnes artium, quas liberales vocant, per seipsum legit & intellexit, quoscumque legere potuit. Quo quicquid de arte loquendi & disserendi, quicquid de dimensionibus figurarum, & de musicis, & de numeris, sine magna difficultate, nullo hominum tradente, penetravit. Et mirabatur istas disciplinas tam tardè ab alijs capi, quarum tot nodosissimos libros nullo adminiculo humani magisterij ingenij agilitate enodaverat. Non enim sentiebant, inquit, illas artes etiam à studiosis & ingeniosis difficillime intelligi, nisi cum eis easdem consular exponere. **ET ERAT ILLE EXCELLENTISSIMVS IN EIS, QVI ME EXPONENTEM NON TARDIVS SEQVERETVR.** Intret hinc quisquis ingeniosissimorum & acutissimorum volet, in secretarium conscientia suæ, & propria experientia, quam ex laboriosa disciplinarum liberalium exercitatione cepit, luculentè deprehendet nisi fallor, quanto intervallo sua ab illa Augustini celeritate tarditas distet. Intret etiam in recessus absconditos memoria suæ, & videat, utrum quisquam antiquorum aut novorum, qui se scriptis po-

steritati commendarunt, sine omni humano magisterio liberales artes omnes tantà celeritate, tantà facilitate, tantà sublimitate se didicisse, veraciter gloriatur. Sed crepundia ista puerilia censueris, si cum illa prodigiosa celeritate capiendæ sacræ Theologiæ, & profunditate penetrandæ conerantur. Nam quæ admodum nemo mortaliū Augustino in Dialecticis, Phisicis, Arithmeticis, Musicis, Geometricis, artibusque cæteris liberalibus percipiendis dux & magister fuit; ita nemo ei profundissimam illam sacræ Theologiæ scientiam tradidit: sed usque ad conversionem omnis Doctoris Catholici inexpertus, à baptismo repente profundissimos illos libros exaravit de libero arbitrio, de vera religione, & similes, in quibus pleraque veræ Theologiæ profunda principia, quibus per totam vitam postea usus est, continentur, quibusque penetrandis eruditissimi sudant. Sed quod omnem admirationem superat, ita statim à baptismo, ab omni humano magisterio separatus, Theologiam explicuit, ut si errorem illum Semi-Pelagianum excipias, quem ipse uti Deo illustrante deposuit, ita post tot ejus disputationes, quidam Catholicorum, qui doctissimi censentur, in hunc usque diem deponere vix aut nullo modo possunt, nihil ad mortem usque alicujus momenti quod veram Theologiam spectet, retractaverit. Nam illi duo libri Retractionum magnà ex parte potius in explicanda doctrina ejus, & in præcavendis alienis erroribus, quàm in corrigendis proprijs versantur.

Alterum itaque quod ad gratiam spectat, verissimum de Augustino dici potest, nemini antiquorum Patrum tantam vim cœlestis lucis divinitus illapsam esse ad abstrusa quæque Christianæ fidei sacramenta penetranda. Cum enim divina gratia sit hujus terræ gloria, quæ solà novum Testamentum ab antiquo distinguit, quemadmodum ab hoc nova legis cœdere, connubium, quod in cœlo nobiscum inibit Deus, torrente voluptatis & gloriæ tanquam gratiæ plenitudine discernitur: necessarium profectò fuit, ut quodam radioluminis gloriæ perstrictus fuerit, quo ista mysteria in hac ignorantia caligine & scandalorum multitudine tam liquido penetravit. Fieri enim, nullo pacto potest, ut tam implexum & caliginosum argumentum, tantopere à sensibus & intelligentia naturali Spirituum Angelicorum remotum, quod nemo, nemo, inquam,

*Lib. 5. Confess. c. 11.*

*ibid.*

*a. 11. Epist. apud b. Sec. Ep. a. Tom. c. 11. d. Pau. Epist. apud c. 11. d. 31. i. 11. Epist. B. D. D. Aug. h. c. Epist. apud i. N. c. 11. d. 11.*

inquam, unus Patrum præcedentium vel tantillum explicare tentaverat, nec nisi imperfectis phrasibus, quas ipsa fides & preces fidelium secum asserunt, expresserat; quod unicuique est Theologiæ nostræ compendium; quod omnium Christianarum actionum & passionum & contemplationum est scaturigo, tantâ luce soliditateque dispefecerit, ut ab Ecclesia nihil ei detractum sit; tantâ simul ubertate diduxerit ac diffuderit, ut ei postea nihil adjectum sit, sed ipsissima tanti Doctoris verba in decreta fidei transiverint, nisi lumine tantò excellentiore in gratiarum ordine cæteris præstitisset, quanto acies naturalis ejus ingenij vim intelligentiæ cæterorum subtilitate superavit. Non enim per fidem tantum, sed per fidei intellectum abstrusarumque rationum pondera de rebus hisce dislerit: ad quod duorum luminum, quibus Theologiæ consecutiones extrahuntur, naturæ, inquam, & gratiæ conjunctio, singularisque prærogativa necessaria est. Quo factum est, (si de me ipso ingenue loqui licet) ut non sine sacra quadâ admiratione & pavore non semel libros quosdam profundiores legerim, animoque recolerim: in quibus tanta soliditate & profunditate, arcanissima totius gratiæ fundamenta primus inter omnes Patres, (in quorum scriptis nec vestigium eorum videre licet) eruit, tantaque luce & securitate de secretissimis mysterijs dispartat, quasi de rebus in Ecclesia tritissimis, ac de ipsis Christianæ fidei rudimentis loqueretur.

Sed ad efferendam divini luminis magni-

A tudinem, quo iste Doctor antecelluit, nihil evidentius asserri posse videtur, quàm quòd inter peritos Ecclesiasticæ antiquitatis constat, nullam hæresin à Christo passio tot rationum naturalium prædijis munitam fuisse, nullâ plausibilius atque animosius adversus Catholicorum armâ resistisse; nullam tot effugijs eluisse conatus oppugnantium; nullam toties confraeto concisoque toto corpore, instar serpentium, in una corporis particula totum virus viresque reservasse; nullam toties prosligatam & protritâ, integerrimam aciem tantò majore, quanto occultiore periculo usque in nostra sæcula restaurasse, quàm eam hæresin divini gratiæ perducellam, quæ ab Augustini ingenio & calamo prosligata est. Promptum esset hæc omnia luculentius demonstrare, nisi in hac proemiali dissertatione potius rerum capita quodam quasi saltu tangendo transilire cogeret, quam uberiori sermone dilatare.

B Vnum tamen observatione magnopere dignum est, quod quemadmodum divina sapientiæ profunditas in eo eluxit mirabilior, quòd ex contrarijs elementis mundi spectabilis compagine coalescere fecit: ita non mediocriter prodigiosum illud ingenium ex eo inclaruit, quòd inter quatuor ventos tunc temporis in hoc Oceano colluctantes, quorum hic gratiam Dei ille liberum hominis arbitrium destrueret; istos homines omnes naturâ bonos, alter omnes naturâ malos astrueret, viam regiam, inter omnes intactus gradiendo, sine vulnere, sine errore omnibus se lectari volentibus aperuerit.

k Possid. Ep. ad Maced. I Darius Epist. 263. apud Aug. m Orosius in Comment n Prosp. Ep. ad Rufin. o Idem cont. Collect. p Hier. Ep. 25. apud Aug. q Constat. Epist. 221. ibid. c Idem ibid. & Paulin. Epist. 31. apud Aug. Volus. Ep. 2. ad Aug. c Possid. ad Macced. u Paulin. Epist. 249. apud Aug. x Idem Ep. ad Valer. y Possid. ad Macced. z Prosp. Epist. ad Aug. a Paulin. Epist. 35. ad Aug. b Hier. Ep. 30. ad Aug. c Darius Comes Epist. 263. ad Aug.

C A P V T X V I I I.

Miris elogijs Augustini facundia, eruditio, sapientiâ à Scriptoribus sui temporis, & posteris celebrata est.

H I N C igitur profecta est illa incomparabilis opinio, quam de ipsius jam defuncti eruditione & sapientiâ totâ Christi Ecclesia semper habuit, & que florescentem habitura est. Hinc expressa illa elogia multiplicia, & homini mortali inusitata, quibus etiam tum vivens à viventibus viris magnis atque eruditis, præ admirationis magnitudine, prædicatus est. Nam inde nata sunt illa voces, quibus propter nervosissimam facundiam libri ipsius dicebantur a eruditissimis, & omni eloquentiæ splendor fulgore gurgulitantes, ita ut non tantâ industria Amiciana domus Divi Ep. ad nitarerit marmora, quantâ eius scripta perlocutione eloquentiâ: ipse verò summus ubique Orator. & Deus penè totius eloquentiæ. Propter doctrinæ sapientiæque incomparabilem profunditatem, & Benedicibilis Doctor Israel; & sal terra, sislula aquæ vivæ, vena fontis æterni, & Tuba Domini, & Divini fontis ubertas, h. Fons orbis, oraculum legis, & Præ-

A sulum legis; h. Homo celestis; i. Vin celestis sapientiæ; m. Spiritus igneus; n. Excellentissima autoritas; o. præstantissimus magister gratiæ; p. Speculo pastoris; q. turris validissima; r. Conditor antiquæ fidei; s. Divina Christianæ culmen; t. Admirabilis; u. ut Legi deesse que quid eum contingeret ignorare; v. Patrum, Doctorum, & spiritus revelationis ab ipso duce & fonte sapientium illuminatus; x. Sublimis omnibus volans; y. omnium referator; z. Angelus in sermone, par prophetis in absconditorum mysteriorum revelatione, par Apostolis in prædicacione; a. imago divinitatis, abyssus sapientiæ; b. incomparabiliter honorandus, ineffabiliter mirabilis. Qui tantâ scripse eruditionis profunditate, & veritate divina verba credantur, ut b. que quilibet dicere possit, & sublimi ingenio de sanctarum scripturarum hauriri fontibus, poneret atque desereret. Tanta loquebatur doctrinæ affluentia, ut c. milles, & omni numero se plus beatos crederent, si præsentibus d. datam esset in vestri verè sidereis vultus eius, vocemque divinitatem; ac divina canentem haurire licisset.

a Hieron. Epist. 30. apud Aug. b Secund. in usque ad novissimi judicij diem magis magisque florescentem habitura est. Hinc expressa illa elogia multiplicia, & homini mortali inusitata, quibus etiam tum vivens à viventibus viris magnis atque eruditis, præ admirationis magnitudine, prædicatus est. Nam inde nata sunt illa voces, quibus propter nervosissimam facundiam libri ipsius dicebantur a eruditissimis, & omni eloquentiæ splendor fulgore gurgulitantes, ita ut non tantâ industria Amiciana domus Divi Ep. ad nitarerit marmora, quantâ eius scripta perlocutione eloquentiâ: ipse verò summus ubique Orator. & Deus penè totius eloquentiæ. Propter doctrinæ sapientiæque incomparabilem profunditatem, & Benedicibilis Doctor Israel; & sal terra, sislula aquæ vivæ, vena fontis æterni, & Tuba Domini, & Divini fontis ubertas, h. Fons orbis, oraculum legis, & Præ-

I tanta

LIBER PROEMIALIS

Tantâ docebat auctoritate, & sapientiâ, ut  
*lib. 1.* homines deputarent se quasdam immortalitatis leges  
 non modo de caelo, sed in ipso constitutos caelo fuisse peres;  
 & quasdam Dei voces non longe de templo, sed prope  
 ipsum Dei astantes tribunal audire. Hæc profecto & similia, quibus antiquorum cum ipso  
 viventium scripta plena sunt, manifestissimè  
 demonstrant, quàm sublimis eruditionis, &  
 sapientiæ, & auctoritatis Doctor ille Docto-  
 rum in eruditissimo sæculo, ab eruditissimis  
 viris habitus fuerit; ut supra modum admi-  
 randa sit illa quorundam Philosophorum re-  
 centiorum immodestia, qui instar leporum  
 leoni mortuo insultantium, simul atque ra-  
 tiunculâ quâpiam se armatos putant, capitales  
 doctrinas eius adversus Pelagianos constantis-  
 sime traditas, & à summis Ecclesiæ Præsulibus  
 toties comprobatas, quas neque cum illa fe-  
 dulitate, qua oportebat, librorum videlicet  
 omnium excussione diligenti scire studuerunt,  
 nec ullo modo earum fundamenta penetra-  
 runt, tam insolenter invadunt, eumque ca-  
 liginis, ignorantia, temeritatis, erroris, ac  
 tantum non hæreseos Pelagianæ redarguere

<sup>A</sup> non verentur. Quorum novi plumbeique pu-  
 giunculi si immobili isti rupi, detecta aliquan-  
 do genuina veritate, quam ipse docuit, illi-  
 derentur, fortassis arma omnia repercussâ ob-  
 tusaque manibus exciderent, nec aliud exar-  
 matis præsidium, nisi pervicacia, aut palinodia  
 superesset. Quod magnum beneficium,  
 præsentique perturbationi Scholasticæ Theo-  
 logiæ magnopere necessarium ut Deus præster,  
 spiritu suo tam docentium, quàm discentium  
 animos illustrando, magnis precibus interpel-  
 landus est; & Augustini scripta, quod unicum  
 tanto malo remedium est, diligentius & reve-  
 rentius, quàm hætenus à quibusdam factum  
 est, consulenda. Longè quippe integrius pro-  
 fundiusque veritas in ipsis latet, & longius  
 ab ea plerique recesserunt, quàm vulgus Do-  
 ctorum recentiorum suspicatur. Nos interim  
 in tanti Doctoris mirabilibus pro nostro mo-  
 dulo referendis pergamus, eoque porro stylium  
 nostrum convertamus, quòd divinæ gratiæ  
 efficaciam adhuc luculentius totius vitæ praxi,  
 quam sermonibus, lucubrationumque monu-  
 mentis expresserit.

## CAPVT XIX.

Vis gratiæ magis vitæ praxi in Augustino, quàm stylo ab eo ex-  
 pressa est, conversione mirabili, quâ Magdalena, Petro,  
 & præcipuè Paulo similis fuit; institutione Re-  
 ligiosorum, qui in quinquaginta qua-  
 tuor Ordines diffusi sunt,  
 alijsque multis.

**V**BI nobis occurrit primo loco mi-  
 rabilis illa & extra naturalem rerum  
 ordinem divinitus perpetrata con-  
 versio; quæ tanquam divinæ gratiæ  
 speculum & compendium clariùs vires ejus ac  
 naturam oculis opinionum prævitæ non lip-  
 pientibus exponit, quàm quicquid in scriptis  
 voluminibus de ejus efficacia consignavit.  
 Cùm enim totius vitæ stadio usque ad annum  
 circiter tertium supra trigèsimum & amorum  
 & morum sceditate distulisset, pravarumque  
 consuetudinum ferreis vinculis innexus, longo  
 irritoque conatu durissimam concupiscentia-  
 rum suarum servitutem non potuisset excu-  
 tere, uno impetu suborta est ingens procella,  
 ferens ingentem imbrem lachrymarum: quâ  
 tempestate Spiritu Domini flante suscitata,  
 omnes catenæ quibus tenebatur repente diru-  
 ptæ sunt, & velut impellente turbine ab uno  
 extremo in alterum, à vita turbulentissima &  
 scditissima in pacatissimam, castissimamque  
 translatus est. Quibus profecto tot annorum  
 suspirijs, per quæ in placitum vitamque sanctio-  
 rem, stimulis timoris, pudoris, ac amoris  
 agitatus totis anhelabat visceribus, quid do-  
 cemur, nisi animam tot impedimentis impli-  
 catam, tot vinculis carnis & sanguinis sub

<sup>A</sup> diaboli potestate captivam, nulla arte, nulla  
 vi, nisi inusitato Spiritus omnipotentis mira-  
 culo, in felicem illam arbitrij libertatem re-  
 spirare potuisse? De qua ipse admirandus  
 quodâ loco clamat: *Vixerat tam annofo tempore,*  
*Et de quo imo altoque secreto evocatum est in mem-  
 to liberum arbitrium meum, quo subierem cervicem*  
*levi iugo tuo, & humeros levi sarcina tua, Christe*  
*IESU, adiutor meus, & redemptor meus?*  
 Quare eùm nihil præcesserit, cui potentis-  
 simus ille repentina commotionis impetus af-  
 scribi possit, sine temeritate dixerò, Augu-  
 stinum in conversione sua similem fuisse Ma-  
 gdalena, quæ divini amoris illapsu inflama-  
 mata, torrenteque lachrymarum inundata,  
 omnes vitæ pristinae scditates, omnes mundi  
 & carnis imagines repete delevit. Similem esse  
 Apostolis veritatis, quorum antea viles ani-  
 mas, & in terra repentes, uno igne Penteco-  
 stes, quicquid ligni, sceni, ac stipula super-  
 erat exurente, factus etiam repente de caelo  
 sonus, tanquam adventientis spiritus vehe-  
 mentis, ad virtutum omnium culmen abri-  
 puit. Similem fuisse sancto Petro, qui post  
 promissa toties violata, quibus se Deo ani-  
 mamque devoverat suam, uno respectu inte-  
 riore subito commutatus est. Similem deniq;  
 fuisse

fuisset sancto Paulo, quia pariter vna voce  
 cessit personante: *Tolle lege*, uno ictu ocu-  
 lorum ad eam animi pacem ac promptitudi-  
 nem conversus est, ut cum Paulo divino to-  
 nitru prostrato, toto corde ingemaret:  
*Domine, quid me vis facere? Quam*, inquit, *suave*  
*mibi subito factum est carere suavitatibus nugarum!*  
*& quas amittere metus fuerat, iam dimittere gau-*  
*dium erat.* Hinc uti Paulo squamæ ab oculis  
 illuminatis deciderunt, ita Augustino statim  
 cum sine illius sententiæ, quasi luce securitatis  
 infusa, omnis dubitationis tenebra diffugerunt.

A quorum quidem sanctorum similitudine,  
 Magdalena, inquam, Apostolorum Petri, &  
 Pauli, nec hoc abludit in Augustino, quod  
 semper deinceps iverit de virtute in virtutem,  
 tam indissolubili gratiarum subsequantium  
 catena, ut eum nulla secularis temptata à se-  
 verioris vite tramite distraxerit; tam uberi  
 præclaroque progressu, ut ipse non minùs lu-  
 culentum speculum & exemplar Religiosis,  
 Presbyteris, atque Episcopis expresserit, quam  
 Apostoli ipsi Augustino, totique populo Chri-  
 stiano præbuerunt.

Primus enim ille fuit, qui Religiosos Mo-  
 nachorum ordines in Africam invexit, & in  
 diversas ejus plagas sparfit. Vnde Eremitæ,  
 ceterique Religiosi sub tanti ducis vexillo  
 merentes prodierunt: qui tantâ multitudine  
 ex illa Augustini spiritus fecunditate propa-  
 gati sunt, ut à nonnullis quatuor supra quin-  
 quaginta ordines sub Imperatoris Augustini  
 nomine & patrocinio inelyti numerentur;  
 adeoque, ut verbo dicam, nec emulationes  
 concitem ejus laudibus, qui isto telo: *Non in*  
*contentione & emulatione*, conversus est, tot Re-  
 ligiosorum examina sanctus iste profudit,  
 ut proximè ad illas myriades Monachorum  
 accelerint, qui sub magni Benedicti discipuli-  
 na militarunt. Exaggerent hoc argumentum,  
 quorum uberius est eloquium, & vis orandi  
 in pulpitis trita: Vnum dico, non immeritò  
 Apostolis in sua conversione fuisse comparat-  
 um, qui eorum vestigia in vita reliqua tam  
 probe ac propè pressit, ut haud secus atque illi,

Rom. 13.

A filiorum pater innumerabilium esse promerue-  
 rit, qui eum Apostolum suum indigetando,  
 gratulandi de Augustino canunt, quod de  
 Paulo gentes: *Nam si decem milia Paedagogorum* **1. Cor.**  
*habeat in Christo, sed non multos Patres. Nam in*  
*Christo IESU ego vos genui.* Sed ad alia porro  
 propero.

Primus ille fuit, qui inter omnes Presby-  
 teros Africæ multitudine Ecclesiarum celeberrimæ,  
 dignus habitus fuit, qui Episcopalem  
 Cathedram ad Evangelium prædicandum  
 Antistite suo presente conscenderet. Quo ho-  
 nore nemo ante ipsum ex Africanis Presbyteriis  
 affectus fuerat.

Primus ille fuit, qui temporibus illis in  
 Africa vitam cum Clero suo communem in-  
 stituerit: cum etiam circa Cypriani temporis  
 portionem Episcopalem separatam fuisse, Cy-  
 priani ipsius testimonio dilucescat. At proprie-  
 tatem semper Augustinus tantoperè averfatus  
 est, ut non sacrorum Canonum interdicto,  
 quorum cancellis nostrorum temporum avari-  
 tia coerceri debuit, sed præ paupertate Testa-  
 mentum nullum fecerit.

Primus ille fuit, qui Canonicos Religio-  
 sosque contubernio sibi convictuque sociavit  
 ex quo fluxit, ut ambo pariter nomen ejus,  
 memoriamque venerentur.

Primus ille ipse atque ultimus huc usque  
 fuit, qui post Apostolos duo extrema penè  
 ex diametro dissidètia tam vitâ quam doctri-  
 nâ accuratissimè copulavit, eruditionem al-  
 tissimam, quâ omnibus vel antè vel post in  
 Ecclesia Christi celebratis antecelluit, cum hu-  
 militate profundissima: per quam raro vel  
 nullo fortassis alio exemplo factum est, ut illa  
 vitæ ipsius in stultissima spurcissimaque hæresi  
 transactæ turpitudine, & miranda lubricitas,  
 cum vix paucis domesticis, quorum etiam fi-  
 dem superabat, innotuisset, toti deinde orbi,  
 quàm latè ab Occidente in Orientem usque  
 patet, & usque ad suum exordium patebit,  
 confessione omnium publicarum celeberrimè  
 divulgata sit.

C A P V T X X.

Similitudo Pauli & Augustini mira, in indicijs divinæ electionis, quæ in vita utriusque etjam dissoluta micuerunt.

S E N sicut hac in re mira similitudo cum  
 illo Apostolo adumbrata fuit, qui scientiæ  
 sublimitate in tertium cœlum rap-  
 tus, & humilitatis profunditate Apo-  
 stolorum minimus, persecutor Ecclesiæ, & ab-  
 ortivus, à seipso nominatus est; ita in eo ma-  
 gna utriusque paritas elucescit, quod in am-  
 borum vita ac moribus, quando etjam vitijs  
 quàm maximè & fœditate diluebat, vestigia  
 quadam electionis occultæ, futuræque frugis

A divinis manibus impressa atque oculis mani-  
 festa, claruerunt; perinde atque aurum licet in  
 terra terra occultatum, rei metallicæ peritis,  
 nescio quibus indicijs sese prodit.

Sed ut occultiores illas electionis lineas,  
 quas in ardore persequentis ac furentis Pauli  
 myfici mirantur, ipsis quoque colligendas re-  
 linquâ, brevibus dicam eas, quæ in Augustino  
 quantumvis vitijs proluturo nituerunt.

Et quidem non obscurum indolis magnæ  
 futu-

Handwritten notes in the right margin.



futuraeque spei vestigium in eo emicuit, quod ab octavo decimo circiter anno, quo Hortensij lectione ad sapientiam indagandam incitatus est, incredibili mentis ardore, per omne sectarum genus fugitantem veritatem, ut ardentius amaretur, insecutus est. Hanc enim ut inveniret, ex Catholica stabilitate, in Manichæa deliria præcipitatus est; ubi deceptum se gemendo, per scditates Epicuri in Academicorum fluctuationes delatus est: ex quibus per ambages, ad eum unde exiverat portum Catholicum remearet. *Immortalitatem*, inquit ipse, *sapientie concupisceram astu cordis incredibili. Quomodo ardebam, Deus meus, quomodo ardebam evolare à terrenis ad te, & nesciebam, quid ageres mecum!* Non exiguum sanè secretioris illius electionis vestigium est ardor ille veritatis, quæ Deus noster est, assequendæ. Sic enim & sanctus Iustinianus Martyr paribus per omnes Philosophorum sectas, gyris venando veritatem, eam præluentem in Catholica tandem Ecclesia, ut ipse testatur in dialogo cum Triphone, consecutus est.

Lib. 3. Confess. c. 4.

Nec inferius ejusdem rei argumentum est, illud omnium sectarum, librorumque fastidium, unde Salvatoris IESU nomen exulabat. Hoc enim nomen, quia in ipso adhuc lacte matris tenerum cor eius piè biberat, & alitè retinebat, quicquid sine hoc nomine fuisset, quamvis literatum, & expositum, & vendicium, non eum totum rapiebat. Adde insignem illam fidem, quæ licet Manichæus in obeundo docendi munere, sine dolo docendo dolos, erga discipulos excellerebat: *Vidisti, inquit, me de longe lapsantem in lubrico, & in multo fumo scintillantem fidem meam, quam exhibebam in illo magisterio diligentibus vanitatem, & querentibus mendacium socius eorum.*

ibid.

Lib. 4. Confess. c. 2.

Quantæ porro & quàm præstantis animæ characterem exprimit illud odium magorum, & illa adolescentis integritas, sub vanitate ad fortunæ splendoris anhelantis, quæ victoriam Aruspici in agone poetico pollicenti respondit: *Nec si corona illa esset immortaliter aurea, muscam pro victoria mea snerem necari.*

ibid.

Iam verò si dici solet, eos qui longius à Deo infanis amoribus recesserunt, postquam ad sanitatem redeunt, flammis pudici ac veri amoris acrioribus inardescere, ut Magdalena fidem facit: cum præteritorum seculorum nemo tantâ profunditate divini amoris arca-

na percrutatus aperuerit, quàm Augustinus, nemini dubium videtur esse posse, quin illa ipsius indoles, quæ suos amicos vanos vanos tam arctè diligebat, ut pœnè ipsa mors eorum interitu jucundior videretur, oculis Dei talis naturæ conditoris indicium & effectus fuerit arcana suæ electionis, qua illum casti amoris amplexibus dedicabat. Quem etiam tantâ sinceritate erga carnalem matrem jam tum vitij deformis exhibebat, ut testimonio & quasi testamento morientis matris hoc elogium ei adhæserit, quod pius fuerit, nec inquam ex eius ore audierit in se iaculatum durum aut contumeliosum sermonem. Parva hæc forsitan alicui videantur, sed non parvæ securitæ frugis divinæque in eum benignitatis argumenta; quæ talem indolem ad opus suum ante mundi constitutionem destina verat. Ex qua etiam arcana vena fluxit, ut semper sapientium consilij & conversatione delectatus, eorum ipse sermonibus fixus inhaereret. Ille verò magnus moriendi metus, futurique iudicij, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen de ejus pectore recesserat, eumque à profundiore voluptatum gurgite revocabat, quid, quæso, intelligentibus aliud suggerit, nisi istum velut severum Pedagogum ei à Deo datum fuisse, qui vas illud electionis ad amorem, felicemque æternitatem, cui destinatus erat, adduceret?

His & alijs obscuris electionis quasi lineamentis hoc effectum est, ut amicis bonis ac doctis in profligatissima morum dissolutione videretur: à quibus propterea diligebatur mirificè, & nonnullos vicissim propter magnam virtutis indolem diligebat; qui relicta patria, relicto rure paterno opimo, relicta domo, & non secusurâ matre, nullam aliam ob causam ad ipsum tamen Manichæum commigraverant, nisi ut cum ipso viverent, in flagrantissimo studio veritatis & sapientiæ, cui ex occulto electionis afflatu in medijs erroribus suspirabat. Enimverò cum naturæ non parva pars, doctesque plurimæ tam corporis quàm animi ex occulta illa prædestinationis abyssò in hominem scaturiant, quid mirum si qua lineamenta divinis oculis conspicua illius æterni amoris præ se ferat, quo misericordix suæ vasa complectitur?

## C A P V T X X I.

In Paulo & Augustino profundus gratiæ Christianæ sensus, intelligentia, & prædicatio: quorum fons fuit amor Dei, primus gratiæ effectus.

**S**ED ut alia non pauca præteream, quibus Pauli & Augustini mirabilis in vita & moribus cõformitas apparere possit, unum tamen istud non possum non adijcere, quod velut ea dcm & cõnda

A in utroque radix, easdem etiam actiones in reliqua vita parturivit. Hæc est autem illa admirabilis in utroque Christianæ gratiæ sensus & intelligentia, & prædicatio. Nemo quippe ambigit, quin sanctus Paulus ipsa divinæ

49  
divinæ gratiæ principia nobis revelaverit, atque de illa cunctis Apostolis accuratius dis- seruerit. Cui ita succenturiavit Augustinus, ut primus antiquorum Patrum omnes gratiæ conclusiones, quæ usque ad ejus tempora in Christianorum fide delituerant, ex Pauli prin- cipijs in lucem incredibili profunditate & pe- netratione deduxerit. Nec verò incongruum, si ista duo lumina pleniorē gratiæ sensum hau- serint, qui amplioribus infirmitatibus, in qui- bus virtus perficitur, fuerant agitati. Quem- admodum enim nihil magis gratiam gratui- tam ac victricem esse declarat, quàm enor- mitas peccatorum; nec medicinæ vim magis arguit, quàm desperatæ gravitas ægritudinis: ita nemo divinæ gratiæ mirabilibus, occul- tisque mysterijs intelligendis, atque effandis aptior reperitur, quàm qui longâ miseriarum suarum experientiâ profundius insculpsit ani- mo, quid sit sub criminum & concupiscentiæ servitute captivum esse; quid sit cum cupidit- atibus suis luctari; quid sit ad adipiscendam victoriam divino adjutorio indigere; quid sit denique ex infirmitatum suarum vinculis, quibus ligabatur, in libertatem gratiæ respi- rare. Cùm enim, teste Salvatore, ille plus diligit, cui plus donavit; quibus amoris flam- mis putamus illos arsisse, quorū oculis profun- dus malorum præteritorum sensus assidue be- neficij accepti magnitudinem offerebat? Ex- clamat ipse: *Quomodo ardebam, Deus meus; quomodo ardebam?* Et in alio loco. *Non dubitā sed certā conscientia, Domine, amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te.* Et alibi deficiunt eū verba, quibus exprimat cœlestis ardoris ma-

gnitudinem: *Vbi illi flammula instillavit pre- ciosissimi argenti guttas paucissimas, & incredibile, Romaniane, incredibile, & ultra quàm de me for- tasse & tu credis (quid amplius dicam?) etiam mihi ipsi de me ipso incredibile incendium conceciturunt.* Vis aliquid adhuc amplius? Cùm nihil amaret Augustinus vehementius, quàm certas rerum scientias, ita tamen præ Dei amore astuabat, ut de seipso dicat: *Nunc præ illius amore vix mihi veniunt in mentem.* Quantum ardorem fuisse necessarium est, qui omnium dilectissimarum rerum tantam afferat oblivionem, ut vix am- plius in mentem inciderent? Amore verò ar- denti nihil est luminosius; charitate fervidâ nihil sapientius.

Ex quo sapienter à viris magnis animad- versum est, documenta illa sublimia de gratia Dei quæ ab Augustino posteritati mandata sunt, magis ex ipso divini amoris incendio quo ardebat, quàm humano studio emicuisse. De quo præclare discipulus & contubernalis ejus Prosper: *Inter multa Dei dona, quibus illum abundatissimè Spiritus veritatis implevit, habens etiā HANC SCIENTIÀ ET SAPIENTIÀ EX DEI CHARITATE VIRTUTEM, ut non solum istam (hæresin Pelagianam) in suis deruncationibus palpantem, sed etiam multas prius hæreses invicta Dei verbo debellaret.* Nempe, ut qui prius ipse altissimò divinæ gratiæ, hoc est, charitatis sensu, cuius inspiratio, ipso teste, proprie gratia est, divinitus imbutus fuerat, ejus secreta lucu- lentiùs in aliorum animos docendo transfun- deret. Meritò igitur magnum illud elogium ei ab Ecclesia aptatum est: *Qui fecerit & do- cuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.*

C A P V T X X I I.

Gratiā ac Theologiam posterī ab Augustino didice- runt, etjam S. Thomas.

Q V I S enim Doctorum omnium, quos Ecclesia veneratur, ita officia divini amoris seu gratiæ, quæ proprie amorem in nova lege operatur, facto exercuit, & pariter in aliorum emolu- mentum verbo & scripto, ejus arcana refera- vit, atque Augustinus? Nam inter Græcos quidem Theologiæ doctrinæ princeps olim Origenes; post illum S. Chrysostomus fuit; ex quo quotquot eum alicujus nominis secuti sunt, velut ex quodam communi fonte omnia sua præclara in Scripturam documenta deri- varunt, ut abundè Theodoret, Oecumenij, Theophylacti, ac Damasceni scripta testantur. Sed ita in explicando illo divino amore seu gratiæ seipsum plerique discipuli infelices fue- runt, ut à nonnullis non segniter ab erroribus saltem in loquendi modo commissis vendicentur. Quicquid enim solidi ac præclari à Græ- cis posterioribus de divina gratia proditum

est, quod perquam exiguum est, totum ex Au- gustini fonte scaturivit. De Latine vero hoc ipsum operosius astruere velle, non esset aliud, nisi Soli meri- diano lumen accendere: eum ipsa Ecclesia teste constet, Augustini vestigijs institit, quot- quot postea Theologicam disciplinam viâ ac ratione tradiderunt. Quicquid enim veræ Theologiæ in Scholastica sancti Thomæ con- tinetur, usque ad ipsorum articulorum fun- damenta, ex Augustino ita mutuatum est, ut quemadmodum novum Testamentum ni- hil est aliud, nisi vetus revelatum, & Augusti- ni doctrina de gratia Dei nihil præter fidei principia in suas diducta conclusiones; ita S. Thomæ summa, ubi Theologiam tradit, pro magna parte nihil sit aliud, nisi Augustinus contractus, certâque proportionem naturalibus principijs alligatus, secundum quod congruit, ut ipse Thomas loquitur, ad eruditionem incipientium.

Ex quo

INVENTUM  
OPUS

Ex quo profecto magnitudo sancti Augustini multo splendidius enitescit. Si enim à nonnullis de sancto Thoma rectè dictum est, quot articulos, tot ejus esse miracula; quot miraculis ille tandem claruisse dicendus est, qui sanctum Thomam tot miraculorum patratores fecerit? Nihil hinc invidiam cuiusquam, vel ne sanctus Thomas succenseat mihi, pertimescendum puto, qui quantum sanctissimo Augustino antecessori ac magistro suo debeat, facilius ipsemet forsan pro humilitate sua, quam quispiam alius amator ejus ardentior, quam prudentior, fateretur. Quasi verò in Ecclesia Catholica, quæ antiquorum Patrum autoritate nutrita, fidem concipit, multitudinem contrahit, obtinet vetustatem, & roborat Religionem, non hoc in primis magistros eius, Doctoresque commendaret, quòd antecessorum vestigijs insistentes;

illud ipsum in expositione fidei imitentur, quod in ipsa fide sacratum est: ubi omnis innovatio suspecta, periculosa, perniciosa est. Hoc verò sibi laudi ducere præclarum; non si supra ruinofam opinionum fluctuantium arenam, novas doctrinæ quasi subtilioris & accuratioris macerias exstruas: sed si solidissimis antiquorum fundamentis, quos toties probavit columna veritatis Romana Ecclesia, altiore molem imponas; illa ruderibus Philosophiæ, novarumque opinionum obruta denudes, magis publicæ discipulorum securitati, quam privata gloriæ consulendo. Hanc laudem qui sancto Thomæ surripere volunt, potissimam ex ejus doctrina margaritam avellunt, alterumque fulcrum longè firmissimum subtrahunt, cui præcipua doctrinæ ipsius moles incumbit.

CAPVT XXIII

Notitiæ verè Theologicæ limites in se fixit Augustinus.

**N**E c verò immeritò tantum à posteris excellentissimo Doctore Augustino tributum est. Cùm enim fides nostra, seu principia Theologiæ Christianæ, quamvis obscuritate eorum permanente, in aliquam intelligentiam rationis interventu transeant, nemo limites illius notitiæ & ratiocinationum Theologicarum propius invenisse videtur ac fixisse, quàm Augustinus: quos terminos ab illo fixos, qui accuratioris alicujus doctrinæ prætextu, prætergredi nituntur, nimium felices habendi sunt, si non in humanarum opinionum labyrinthis sine tali duce aberrantes, proprias imaginationes pro scientia ex fide derivata mirentur.

Ex quibus nobis fortassis arbitrandum superest, si ea dempseris, quæ Ecclesiæ auctoritas post Augustini tempora definivit, quicquid scientiæ ex fidei fundamentis per rationem elicenda sanctum istum latuit etiam posteris latuisse. Quod ita pœnè totius posteritatis arbitrio verum est, ut in omnibus disceptationibus rerum dogmaticarum, quas quoquò modò in scriptis suis attigit, omnes quaquaversum per orbem totum Doctores summo studio ostendere conentur, nihil in medium à se proferri, quòd non ex Augustini lucubrationibus prompserint.

Ita in illa disputatione factum cernimus, quæ de Conceptione immaculatâ turbavit Hispaniam; quæ de primatu Apostolicæ Sedis præcipuam Galliæ Facultatem in duas factiones distraxit; quæ ante paucos annos de limitibus regie potestatis in Regni cujusdam Comitij ipsos pœnè proceres commisit; quæ tot annos, tantâ animorum, nervorumque contentione de divina gratia inter Catholicos vixit; quæ denique Calvinistas omnis Ecclesiasticæ auctoritatis hostes, Patrumque perduelles, in Armenianos & Gomaristas laceravit. Nimirum omnes & in Christi Ecclesiâ, & in Satana Synagogâ, & in Regum palatijs, & in Doctorum subellijs Augustinum arbitrum deposcunt, Augustini armis atque auctoritate sese muniunt, ac ac tentur. De quo meliori sanè jure dixeris, id quod olim de Socrate Philosophi, doctriinæ Theologicæ diversitatem ex diversa sancti Augustini interpretatione fluxisse, quemadmodum Philosophorum sectæ ex varia Socraticæ doctrinæ intelligentia, teste Cicerone, dimanarunt; qui cùm de Peripateticis Academicis loqueretur; *Veni que, inquit, Socratici esse volumus.* Nempe omnes nunc Augustiniani esse aut videri volumus.

Lib. 1. Off.

CAPVT

## CAPVT XXIV.

Augustinus Pater Patrum, Doctor Doctorum; primus post Scriptores Canonicos; inter omnes verè solidus, subtilis, irrefragabilis, Angelicus, Seraphicus, excellentissimus, & ineffabiliter mirabilis.

**Q**UAMOBREM cum nemo dubitet, quin inter illos quatuor, qui vulgò nomen Doctorum Ecclesie ferunt, Augustinus longè palmam ferat, nemo, arbitròr, succensebit mihi, si ipse primus Doctorum, primus Patrum, primus Ecclesiasticorum Scriptorum post auctores Canonicos appellerur; cujus luce tanquam primi Angeli (quo nomine Episcopus tanquam veros Ecclesie Doctores Apocalypsis vocat) omnes quodammodò Deus irradiando perfundat, qui quaquà ratione ad alios erudiendos destinati sunt. Ipse inter omnes Doctores Ecclesie verè solidus est, qui doctrinas de capite & corpore Ecclesie, de Trinitate, de baptismo, de gratia Dei, tam immobilibus principijs primus fundavit, & explicuit, ut quicquid illi consonat, securissimè amplectendum sit, quicquid dissonat, respiciendum. Ipse inter omnes verè subtilis, qui tot secreta & mirabilia doctrinæ capita in suis lucubrationibus quâdam obsecuritate tecta sparsit, ut in eis eliciendis diligentes lectores earum perpetuam discendi materiam, usque ad mundi finem, acceperint. Non enim ea semper promiscui lectoris firmitas, & capacitas est, ut ea passim nudare conveniret; sed multa diligentioribus lumen à Deo postulantibus dereliquit, quibus ea nudentur, si quæ fortè quæstio ad illa aperienda compellat, ne infirmiores aliquâ falsitate capiuntur. Sic enim profundissima illa fundamenta, quibus tota gratiæ cœlestis œconomia nititur, per totam vitam in omnibus libris obscurè & dissimulanter expresserat, ne majorum fortè quæstionum ansas infirmis daret. Quæ quidem arcana fundamenta nemo posteriorum vel suspitione cogitasset, nisi ipse illa sub finem vitæ quorundam quæstionibus pulsatus effectusque detexisset. Ex qua profundiore declaratione postea, teste Prospero, Semi-Pelagiana hæresis, hominum non ferentium illam severam profundamque veritatem, orta est, altioresque radices egit. Ipse inter omnes Doctores verè irrefragabilis est, qui in mysterijs divinæ gratiæ & prædestinationis eruedis & fundandis, irrefragabilem ex tot Pontificum sacratis vocibus, tot Canonum Synodaliū præformationibus, toto antiquioris Ecclesie consensu, auctoritatem consecutus est. Cum quo neq; vivente neque defuncto

ex professo aliquid propugnante hæctenus quisquam luctatus est, qui non succubuerit. Qui non solum hæreticos omnes, & Catholicos ipsi in scribendo repugnantes, mole scripturarum & rationum oppressit; sed ipsum sanctum Hieronymum, qui culmen auctoritatis inter Doctores illius temporis obtinebat, & eique fortissimè in diversis capitibus resistebat, ita humili stravit, ut in omnibus articulis ventilatis, quorum quidam toto pœnè Græcorum scriptorum exercitu munitabantur, et calamum è manu extorserit, ad palinodiam adegerit, sententiamque suam in Catholice doctrinæ dogma transmiserit. Ipse inter omnes Doctores verè Angelicus est, qui jam olim cum viveret, Angelus non naturâ, sed gratiâ nuncupatus est: qui sine humano magisterio instar Angelorum à Deo illuminatus, ingenio verè angelico, profunda prædestinationis & gratiæ ac divinitatis ita penetravit, ut multum per omnem modum ille posteriorum assecutus sit, Deoque debeat, qui ea quæ docuit, intellexerit. Quod utrum severâ veritate, an hyperbolicâ facilitate dixerim, in operis hujus decursu patefiet. Ipse inter omnes verè Seraphicus, quem parem Angelis in fervore jam tum viventes, & ideo plerumque invidentes appellarunt. Quo nemo post Apostolos altius amoris seraphici fibras rimatus est, & secreta propalavit: quem nemo, castius atque fortius, nemo, à terrenis cupiditatibus defœcatus incommutabili adherendo veritati, superavit; cujus omnia verba, vita, disciplina tanquam faculæ ardentes ex se flammâ divini amoris effundunt; cujus doctrinâ inter omnes delirantes hæreticos, & errantes Catholicos victoriosa, divinam gratiam, quâ seraphica illa charitas diffunditur in cordibus nostris, adversus omnes ratiunculas philolophantium, & omnes nebulas hallucinantium, & omnes arietes oppugnantium robustissimè invictissimèq; defendit. Ipse inter omnes verè excellentissimus & ineffabiliter mirabilis Doctor gratiæ Dei: qui inter omnes, post Scriptores Canonicos, eam clariùs, plenius, profundius penetravit, hausit, explicuit; qui in omnibus paginis id indefatigabiliter, instanter, & semper agit, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur; ut in omnibus habentes sursum corda, gratias incessabiles agamus Domino Deo nostro; in quo totius Christianæ vitæ summa constituta est.

## CAPVT XXV.

Quo animo auctor ad lectionem operum sancti Augustini accesserit; quid spectaverit; quid spectandum sit; & Augustino tribuendum.

**E**T ista quidem balbutienti mihi de tanto Doctore exciderunt: quæ quamvis tunc, quando in illis controversijs, quæ de divina gratia ventilantur, incertus fluctuabam, nullo pacto mihi tantoperè persuasa essent, quantum nunc experientia longi temporis, & nonnulla cum principijs ejus profundis familiaritas, vera esse persuasit: maxima me tamen opinio de Doctoris illius eruditione captivum retinebat. Quo sanè fiebat, ut, cum animo recoletem, illas materias, quas Augustinus adversus hæreses asseruerat, tantâ luce ab eo tractatas esse, ut nihil à posteris adjici potuerit, nisi Metaphysicarum quarundam formalitatum & questionum spinæ, quibus ingenia tractandis urticis inassueta terrerentur, impossibile mihi videretur, istam solam, quæ omnium ab ipso latissimè, uberri-  
mè, profundissimè, sufficientissimè discussa fuit, usque ad ipsam generis humani confessio-  
nem, quâ seipsum in hoc divinæ gratiæ argu-  
mento superasse prædicatur, ita incertam ob-  
scuramque mansisse, ut tot tantæque contro-  
versis, quibus agitantur scholæ, non solum  
resolvi ex ejus doctrina non possent, sed nec  
ullo modo intelligi, quid ille ipse sanctus Do-  
ctor sibi voluerit, aut quid senserit. Ad hunc  
igitur accessi, sperans in Deum meum, non  
esse me fructu laboris mei, hoc est, vel cogna-  
tione veritatis, vel certè sententiæ illius, quæ  
Pelagianos debellavit, tantamque laudem ab  
Ecclesia meruit, frustrandum, si eâ quâ decet  
animi simplicitate, ad fontem illum, & avi-  
ditate veritatis accederem; si depositis varia-  
rum sententiarum præjudicijs, quibus ado-  
lescens in scholis Theologicis imbutus fuerâ,  
non me scriptorum ejus judicem, sed cum om-  
ni humilitate discipulum exhiberem: si non  
attenderem, utrum præoccupatæ opiniones  
meæ, quas ipso non lecto biberam, ipsius alijs  
supponi possent, tutelâque defendi, quemad-  
modum aliquos hoc tempore secisse mihi in-  
notuerat; si non ad ostentationem & plausum  
discipulorum, quasdam sententias ex Augusti-  
no corraderem, ad ea magis confirmanda  
quàm corrigenda quæ senseram: sed animo  
persuasissimo, præ cæteris omnibus, ipsum in  
hoc argumento sequendum esse; ad ipsius  
sensa dictaque sententias omnes alias esse cor-  
rigendas; ipsum se sufficienter aperuisse; ipsum  
necessarium modum non excessisse, quemadmodum  
adversus obsoletas Massiliensium, & resusci-  
tatas recentiorum querimonias jam olim Ce-  
lestinus Pontifex declaravit: animo denique  
paratissimo, quicquid ipse tenendum in hac

A materia præscripsisset, tanquam indubitatum,  
& Romanum, & Catholicum, deposito omni  
studio contentionis, accipere: utpote quem  
saluberrimè Romanorum Pontificum votes  
premuniverant & securissimum fecerant, quod  
eum nunquam sinistra suspitionum rumor asperserit: *Cicili-  
quod in eius libris cognosci posset, quid de arbitrio  
libero & gratia Dei, Romana sequeretur, & asse-  
raret Ecclesia: denique quod, uno verbo, eius  
doctrinam secundum præcessorum Pontificum sta-  
tuta, Romana sequeretur & servaret Ecclesia.* Ad  
postremum, si post susceptos labores, & non  
mediocrem scriptorum ejus volutationem ali-  
quid superesset, ad quod acies mea pertingeret  
nondum pollet, iniquum esse credidi, ut ea,  
quæ mihi constitisset Augustinum tanquam  
ex Apostolis hausisse, tenuisse, docuisse, pro-  
pter aliqua, quæ superessent vel difficiliora  
vel obscuriora, dimitterem, adversus illud  
effatum Apostolicum, quod auditoribus suis  
in hujus vitæ caligine ad cognitionis lucem  
aspirantibus, tantoperè ipse Augustinus in-  
culcare solet: *Verumtamen in quod pervenimus, Lib. 1.  
in eo ambulemus.* Nam, ut adjicit: *ambulando in  
quod pervenimus, & quod nondum pervenimus, per-  
venire poterimus; Deo nobis revelante, si quis aliter  
sapimus, scia, quæ iam revelavit non relinquamus.*  
Quid enim? An ideo relinquendum, vel offu-  
sis tenebris perturbandum est quod apertum  
est, quia intelligere non possumus, quod ob-  
scurum est? salubriter nos monuit S. Prosper  
in eodem argumento de gratia Dei, ut ea quæ  
clava sunt, non de his quæ occulta sunt, obsecremus; *de  
ve dum procaçiter insissimus clavis, excludamur ab  
aperitis: cum sufficere debeat, ut in eo, quod pervenimus,  
ambulamus.* Nam quid mirum videri debet ani-  
mo Christianâ humilitate fundato, si parvula  
proles non possit ubique matrem sequi; disci-  
pulus; non possit in omnibus tantum Docto-  
rem assequi? Qui antequam cujusquâ subisset  
in Philosophia vel Theologia magisteriû, api-  
cem illum altissimæ eruditionis attigerat,  
quemadmodum ex ijs quæ etiam nû super sunt  
voluminibus patet, ut non facillè quisquam  
eorum qui se eruditissimos haberi volunt, aut  
putant, post totius vitæ labores & vigiliis,  
tantum sibi ascribere audeat sine temeritate  
fastigium. Tribuamus, obsecro, venerabili-  
bus canis ejus, ut post annorum triginta su-  
dore ac studia, post tot pro rerum divinarum  
intelligentia fufas ad Deum cum lachrymis  
veluti Doctorem ineffabiliter mirabilem su-  
spexit, docentemque velut Angelum Dei in  
terris audit, paulò sanius quàm nos sapuerit;  
paulò

paulò profundius quàm nos arcana penetra-  
verit; paulò solidius quàm nos ex Philoso-  
phiæ rationibus, concordiam gratiæ eum li-  
bertate fundaverit, doctrinamque contra  
omnes Pelagianas versutias victoriosam di-  
vinarum Scripturarum auctoritate commu-  
niverit. Sic illi doctrinæ gloriam dando, quæ  
gloriam Ecclesiæ de devictis Pelagianis non  
scenicam nostram superaverit, humilitate nobis  
Dei auxilium conciliante, revelabitur. Abiit  
à nobis illa, ut miriùs dicam, quid nisi huma-  
na quædam animositas, & sui sensus philan-  
tia? ut dicamus aut sentiamus, nos tandem  
hoc miserabili sæculo, quo in quibusdam  
Theologorum gymnasijs Philosophia Theo-  
logiam Cathedris pœnè deturbavit, novam  
invenisse veram; rationem conciliandi liberū  
arbitrium cum divina gratia & prædestina-  
tione, à nemine huc usque traditam: quæ si  
data explanataque semper fuisset, fortè neque  
Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque ex Au-  
gustini opinione concertationibusque cum

Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pe-  
lagianosque defecissent. Magnoperè quippe  
talibus verendum est, ne facilitate delinitos  
homines à Pelagio per ambages ad Pelagium  
ducant, dumque Semi-Pelagianos cineres  
extinguere volunt, Pelagianum incendium  
reviviscat. Fortassis enim (quod suo loco vi-  
dendum erit) contingeret eis id, quod sanctus  
Prosper olim verebatur, ut non tam illi Catho-  
lici, quam nos, quod adsit, simus Pelagiani. Contra-  
riorum enim permixtio, meliorum defectio est. Quia  
cum virtus vitium recipit, non à vitio, sed à virtute  
discedit. Nam istud de divina gratia argu-  
mentum, plus quam credi à quoquam istius-  
modi recentiorum potest, delicatum est; in qua  
istud à sancto Ambrosio, vel potiùs ab eodem  
Prospero verissimè præclarissimeque dictum  
est: Gratia tota repellitur, nisi tota suscipiatur. Sic  
ut enim alienus est à numero fidelium, & à sorte san-  
ctorum, qui in aliquo à Catholica veritate dissentit, quæ habetur  
ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de eius pleni-  
tudine disjicitur.

Prosper. cons.  
Collat. c. 38.

Prosper. Epist.  
ad Demetr.  
& apud  
Ambros.

## C A P V T X X V I.

Periculosum est novas semitas in materia de gratia invenire velle,  
prætextu vel difficultatum ab Augustino relictarum, vel  
majoris lucis, quæ recentioribus accesserit.

Q V A P R O P T E R nec illos quidem A  
sine magnis periculis divinæ gratiæ  
indagationem vel explicationem in-  
stituire semper existimavi, qui de re-  
bus istis arcanis ita disputant, quasi hic ma-  
gnus esset campus relicta istis vagæ opinandi  
libertati, quæ quicquid cum aliqua specie pro-  
babilitatis aridet, mox etiam in pulpitis, vel  
scriptis etiam voluminibus, defenditur. Pu-  
tant enim multa relicta esse ab Augustino in-  
decisa, multa solum probabiliter asserta, quem-  
admodum in scholis hodiernis fieri solet, in  
quibus fas sit liberè ab Augustino discedere.  
Quò etiam illa S. Celestini verba torquent:  
Profundiores verò difficilioreseque partes intercurrerunt  
questionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis  
resisterunt, sicut non audemus consensere, ita non  
necessa habemus astruere. Et hoc obtentu, pro  
suo quisque gustu, quod in Augustini doctrina  
de gratia non sapit, vel paulò accuratius, B  
ab ipsis inventum videtur; ab Augustini au-  
toritate sejungit. Multis de causis ista li-  
bertas magnoperè periculosa, imo pernicio-  
sa mihi visa est. Nam in primis eò tendit, ut  
nihil penè certi ex Augustini doctrina pro-  
bari posset. Nam quicquid novi quisque  
commentus esset, hoc statim ad difficiliore il-  
las referret questiones; ut earum umbrâ tege-  
retur. Deinde non intellexit hoc Celestinus  
de questionibus illis, quas Augustinus con-  
stanter asseruit, vel velut bases doctrinæ Ca-  
tholicæ contra Pelagianos defendendo tradi-  
dis aut ex ijs perspicuè derivantur. Nam ex

illis ipsa, quam Ecclesia obtinuit, victoria,  
de hostibus gratiæ, reportata est. Qualis est  
illa inter cæteras: utrum electio ad gloriam  
absoluta ex prævisis meritis decernatur. Hæc  
enim à gratiæ intelligentia sive Adami, sive  
Christi, divelli nullo pacto potest; ut suo tem-  
pore & ordine declarandum est. Sed de illis  
hoc intellexit Celestinus, quas Augustinus  
disputando, & in omnem partem se pro asse-  
quenda veritate vertendo, in medio indecisa  
præterivit. Talis est illa latebrosa, de animæ  
origine, quam multis locis propter Pelagianos  
late pertractavit. Talis & illa, quo pacto ani-  
ma, sive ex traduce sive ex carne maculetur?  
Cur hic, non alius, hic isto, alter alio modo,  
vocetur ad gratiam? Cur iste rapiatur, ne ma-  
litia mutet intellectum; alter melior in hac  
vita periturus relinquatur? Cur justior cadat,  
minùs justus perseveret? Quomodo unum pec-  
catum per alterum puniatur? Cur Deus non  
tollat primitus ex homine superbiam, ad quam  
domandam tot peccata permittit? Cur per-  
severaturis non perseveraturi misceantur? Et  
hujusmodi multæ, quæ in Augustini operibus  
multis locis videre licet. Quare verba Cele-  
stini Pontificis ad questiones ab Augustino  
definitas, vel ex definitis palàm consecutaneas  
velle trahere, non est aliud quàm Augustini  
doctrinam de divina gratia quantumcum-  
que solidè fundatam, novis exponere di-  
sputationibus, & incertam reddere de Pe-  
lagiano errore victoriam. Accedit, quòd  
argumenti istius de divina gratia illa natura  
est,

est, quod haud scio an in ullo argumento ab hæresibus oppugnato locum habet, ut omnia dogmata divinæ gratiæ contraria serpentinis voluminibus ita sint implicata, ut ne latum quidem unguem à semita per Divum Augustinum stratâ & stabilitâ desecti queat, quin omnium errorum contra gratiam, quorum Pelagius insinulatus fuit, reus agi & petagi possit. Quod à sancto Prospero & Leone traditum, fusiùs alibi declarandum est. Ex quo etiam fit, ut nemo in hoc argumento Semi-Pelagianus re ipsa, sed solo nomine, esse possit.

Itaque res hæc periculi plenissima est, vel minimum quid asserere, quod ab illo perspicacissimo duce non sit præformatum. Lepidiùs enim in re præsentis, quàm veriùs dicitur, pygmæum in humeris gigantis ipso gigante plus aut longius cernere. Animosa, ne dicam, superba uno verbo comparatio, quæ significant, se videre, quicquid gigas ille viderit, & adhuc videre, quod ipse non viderit. Quasi verò quicquid viderit, ille dixerit: & quod videre nos præter ipsum putamus, ille non viderit. Multò nobis magis verendum est, ne acies nostra quasi puerulorum imbecillis, non videat, quod mater, cujus humeris infidet, videt; nec liquidò discernat id quod jam vi-

det. Verendum etiam ne nobis idem accidat, quod videndi, discernendique imbecillitate laborantibus pueris ac pygmæis, etiam in humero gigantis ac turri stantibus, contingere solet, ut omnes viros, quod Aristoteles dixit, patres appellent, & omnes mulieres matres, quamvis neque patres neque matres, sed hostiliter inimici sint. Ita profectò istiusmodi nanogigantibus timendù est, ne assertiones novas asserendo, quas præter sancti Augustini regulas cudi posse putant, fucum pro veritate, novos errores pro sana doctrina amplectantur ac venditent. Valde pedetentim suspensoque gradu in lubrico incedendum est. Non statim est veritas quicquid lineamenta quædam veritatis ostendit. Etiam stella sublustri nocte per intercurrentes nubes currere imperitis videntur, quæ fixæ manent. Multæ quippe conclusiones de quibus tantoperè hæc tempestate disputatur, solidissimè fortassis ex Augustini principijs religatæ sunt; quarum vincula, propter nebulas novorum principiorum intercurrentes, non sinantur advertere. An idcirco à tanti Doctoris tramite tam leviter desectendum, vel inustatus novorum ducum & comitum periculo aperiendus est?

## C A P V T X X V I I

Paulus & Augustinus matrix & fons omnium conclusionum, quæ de gratia educi possunt.

**N**AM in providentiæ divinæ semitis non mediocri animadversione dignù est, quod quicquid per mensuras locorum & temporum in corporalibus evoluitur & explicatur, quicquid in spiritualibus argumentando colligitur, totum in quibusdam principijs conglobatum collectumque continetur. Ita semen universam arborem complectitur, quæ tanta in ramorum foliorumque diffusionem prodit. Sic Christus Dominus, quicquid gratiarum spirituum in corpore Ecclesiæ universum redundavit, eminentissimâ quædam unitate complexus est. Sic Apostolus Paulus in tertium cælum raptus, quicquid de divina gratia & prædestinatione, per omnium Doctorum disputationes, concertationes, meditationes, contemplationes hauritur, velut abyssus & matrix fontium & in se continuit, & brevissimis quibusdam principijs in Epistolarum suarum cõtextu illigavit. Sed quia non parvi ingenij, laboris, & lucis est, illa arcana ecclesiæ, paucis characteribus implicata deducere, & intelligenda proponere, quid aliud existimabimus, nisi divinum ac stupendum istud Augustini ingenium, quantâ perspicaciâ excelsum, tantâ humilitate depressum divinitus electum esse, quod instar novi principij, perenniùs fontis intelligentiam tam profundè arcani tantâ ubertate profunderet, ut quicquid de humane naturæ corruptione, de divina gratia, de prædestinatione per modum primorum

principiorum in Apostolo Paulo clausum erat, educeret; quicquid nobis impervium penetraret: atque ita quædam eminenti perfectione doctrinæ suæ, quicquid posterorum sciendi situm extinguere, quicquid omnium eorum dubitationes solvere, quicquid eorum quæstiones enodare, & adversantium argumenta retundere posset, comprehenderet?

Hæc igitur mihi fiducia medullitis inheribat, quando sancti Augustini scripta ad mysteriorum istorum luculentiam volvere cepi. Nec sanè, quantum arbitrari mihi post multas vigiliis licet, opinio mea me frustrata est. Ausim dicere, nullum esse reliquum argumentum tot acerrimis litigantium conatibus excogitatum, quod non ille vel tanquam ad rem non pertinens præteriverit, vel in principijs factis abundè solverit, contriverit, dissipaverit: nullum dubium quod à Theologis moveri mereatur, cui non satisfecerit. Sed hoc advertere, vel ad intellectum principiorum ejus tanquam venarum latentis auri pertingere, hoc opus, hæc labor est. Cum enim esset scientiæ & sapientiæ admirabilis, ac Dialecticæ scientissimus, mirabilior artis dissimulator fuit. Ex quo contingit, ut non ita cuivis obvium, planumque sit, quid ex quo educat, advertere, vel insurgentium quæstionum nodos ad sua principia per Augustini libros multum dispersa revocare. Non enim occurrunt pauca, quæ à principijs immutabilibus quibus pendunt a vulsa, speciem absur-

absurditatis non minimam præ se ferunt: sed ad occultos unde manant fontes revocata, veritate in ipsis supernè radiante, certissima & omni acceptione digna deprehendas. Verum quia res ista non est unius mensis aut anni, vel unius tumultuariæ lectionis operum ejus, quâ

quemadmodum canis ex Nilo bibit, auctorum scripta consuluntur; sed pertinacis laboris, totiusq; penè vitæ occupatio, hinc fit, ut paucis vacet aut lubeat molestias istas tœdiâq; devorare, ut veram profundissimi Doctoris intelligentiam consequantur.

## CAPVT XXVIII.

Qualis esse debeat Lector sancti Augustini. Quantum ab Augustini doctrina recentior Theologia distet, tum rebus ipsis, tum docendi modo.

**N**A M & illud inter cætera post aliquam non perfunctoriam istius Doctoris experientiam, verissimum esse judico, neminem nisi miraculo omnipotentis Dei, genuinum sensum ejus assecutum, qui semel cum percurrendo, satis trivisse se arbitrabitur; multòque minus, qui quemadmodum à quibusdam hoc tempore fieri solet, laciniis hinc inde citatas abreptasq; in fonte consulat, aut sententias in eo quærat, quibus concepta sua, pronuntiataque muniantur: maxime verò ab omni spe profectus remotos esse, qui animo Philosophiæ Aristotelicæ, vel Scholasticæ recentioris opinionibus præoccupato, pelagus istud ingressi fuerint. Quod enim olim Augustino cum veteribus opinionibus luctanti accidit, & ipsis quoque usu venit; ut cum aliquid veritatis, quam ponderatis omnibus Augustinus docuisse videatur, sub lucere cœperit, statim circumvolitans mentis aciem turba præconceptorum phantasmatum irruat in aspectum eorum, & obnubilet eum: quasi diceret: quò itis immundî, quò itis? Hoc enim unum ex molestissimis mihi fuisse non diffiteor, qui recentiorum quorundam altercationibus & sententijs gravidis, secundum eas conabar de sensu ejus doctrinæque judicare. Habet enim sacratissimus iste Doctor nescio quid cû sacris litteris quas medullitus hausserat propriû, quòd cum discipuli humilitate, nec cum Censoris supercilio legi velit. Nâ inde, & non alio ex capite profectus est, quòd nonnulli Scholastici, qui se multû sapere crediderunt, in eâ animosas insulfasq; cœsuras Augustinianæ doctrinæ proruperunt: à cujus vero intellectu tam præcûl absunt ut sanctum Scriptorem clausis aut extinctis oculis legisse videantur. Cum enim Theologiam suam recentem, quæ magnoperè ad humanæ rationis modulum, & Philosophiæ gentilis regulas concinnata est, tanquam normam judicandi de omnibus Augustini pronuntiatis adhibent, & omninò sequendam putant, penè ad singulos offendunt passus, & Augustini doctrinam, quòd quidam etiam palàm conquesti referuntur, mille errorum occasionem sectatoribus ejus futuram omniantur. quòd quidem, si Theologia recentior quam ipsi tradunt, incorruptæ censuræ norma est, verissimum puto. Tanto enim intervallo

ab Augustini Theologia discrepat, ut vel ipse Augustinus, quantum hallucinari in gravissimis rebus potest, multipliciter hallucinatus sit: vel si Augustinus divinarum rerum veritatem cû de alijs multis capitibus, tum præcipuè de gratia & prædestinatione contra Pelagianos juxta Catholicæ Ecclesiæ sensum docuit, recentiores isti profectò tantùm ab ostio veræ Theologiæ, fide salvâ aberraverint, ut neque fidem Christianam, quam animo ut Catholici tenent, neque spem, neque cupiditatem, neque charitatem, neque naturam, neque gratiam; eamq; neque Angelorum, neque hominum, neque sanctorum, neque lapsozum, neque sufficientem, neque efficacem, neque operantem, neque cooperantem, neque prævenientem, neque subsequenter, neque excitantem, neque adjuvantem, neque vitium, neque virtutem, neque opus bonum, neque peccatum, neque originale, neque actuale, neque meritum, neque mercedem ejus, neque præmium, neque supplicium creaturæ rationalis; neque beatitudinem, neque miseriam ejus, neque liberum, neque servum arbitrium, neque prædestinationem, neque effectum ejus, neque timorem, neque amorem Dei, neque justitiam, neque misericordiam ejus, denique neque vetus, neque novum Testamentum intelligere videantur: sed Babylonicam quandam confusionem, Cimmerialique quasi tenebras in Theologiæ moralis faciem, nimium ratiocinationibus indulgendo intulisse. Hyperbolicè vel temerè me ista fundere citra dubium lector quisque modestior arbitrabitur, sed singula suis locis, multòque fortassis plura quàm dixi, juxta sancti Augustini principia, Deo juvante, patefient. In quibus penetrandis, quamvis fortè multorum annorum assiduo labore, & iteratâ decies, imò vicies ac tricies lectione librorum ejus, multisque precibus ad Deum fuis, non multum profecerim; hoc saltem unum assecutus sum, ut non obscure mihi cernere videar, quàm procul hujusmodi recentiores in multis mysterijs percipiendis ab Augustini mente devierint. Cujus quidem aberrationis causa præcipua, & penè dixerim sola est, meo iudicio, ea quam dixi, nimia Philosophia, cujus amore quasi ebrijs, neglectis Augustini moni-



mentis, qui primus profunda de tenebris evocaverat, arcana illa mysteria iterum quasi sepulta deletaque, secundum humanæ rationis regulas, eruere, penetrare, formare, & iudicare voluerunt. Hinc ille ardor de quolibet disputandi, quidlibet eorum in dubium revocandi, quæ jam semel definita esse nesciebant. Hinc eorum Theologia innumerabilium opinionum farragine referta est, per quas poenè omnia quantumcumque contraria, facta sunt probabilia, quæ secundum eorum pronuntia cuilibet tueri licet; Ita vix quicquam certi, præter fidem formandarum novarum sententiarum promptitudo reliquum fecit. Præcipitij enim poena suspensum; hoc est, temeritatis comes hæsitantia, & incertitudo. Nihil enim naturalius & vicinius, quàm ut homines ex Peripateticis fiant Academici: quorum illi sublucente ratiunculâ sententiam extemplo præcipitant: hi temeritatis ducti poenitentia, semper hæsitant, & nunc hoc nunc illud animo fluctuante displicet, placet, improbant, probant. Vnde fit ut quod eis hodie probabile est, cras falsum iudicetur: quod heri verum, hodie improbabile & paradoxum. Instar Euripi reciprocantis æstus suos talium Theologia vadit & redit, volvitur & revolvitur, ex incertis continuo certa, & ex certis incerta fabricando, prout sectatorû audacia & multitudo suffragatur & refragatur. Non enim immobilibus fundamentis fidei plerq; sententiæ suffulta sunt; sed arenis humanarum suspitionum, quæ phantasmatum ludibrijs nunc hoc nunc aliud arripentibus agitantur, ut quemadmodum Augustinus dixit: *Dum in his est cogitatio, intelligentiâ ea se cernere arbitramur.* Nam hanc esse falsarum omnium sententiarum ori-

Lib. 6. de  
Musica. 11.

ginem, idem Augustinus præclare significavit, quando dixit: *Sequantur nonnulli phantasmatum sua tam præcipites, ut nulla sit alia materies omnium falsarum opinionum, quam hæere phantasias vel phantasmata pro cognitivis.*

Non ita Doctor ille solidissimus; sed ubi veritas eum in rebus magnis quoquo modo latet, suspensio pede ingreditur, disputando potius, quàm alterutrum resolvendo, ne notam temeritatis incurrat: *In multo pluribus quæmus potius, quid sentiendum sit, quàm definitum aliquid, fixum, que sentimus: & ea cautio cum sollicitudinis plena sit, multo melior est tamen, quam temeritas affirmandi.* Ex qua cautionis observatæ norma certi in Augustinofumus, quod ubi aliquid tanquam verum, sive hæreticos refellendo, sive Catholicos instruendo incunctanter affirmat, de perspecta ei veritate, quamvis nobis fortè ignotâ, nec satis intellectâ, securi esse debeamus. *Rectè est autem, inquit, vaciter atque congruenter loqui, nihil audaciter refellendo, nihil temere affirmando, dum adhibendum est, verum falsumne sit, sive fidei, sive scientiæ Christianæ: quod autem doceri potest, vel verum ratione apertissimâ, vel Scripturarum auctoritate certissimâ, sine cunctatione asserendo.* Hoc enim apud Augustinum errare est, aliud pro alio putare: quod non solum contingit, quando approbantur falsa pro veris, vel improbantur vera pro falsis: sed etiam quando habentur incerta pro certis, vel certa pro incertis. Quo sanè malo nihil hoc tempore familiarius in scholis quibusdam dominatur, ubi certatim novam quisque suspitionem, si sectatores corrogaverit, tanquam certam veritatem, exploratamque defendit.

## CAPVT XXIX.

Scopus auctoris mentem Augustini de naturæ humanæ statu, de gratia, de prædestinatione sincerè patefacere. Quid spectandum sit ijs qui aliud fortè senserint.

**Q**UOD si fortassis me quoque in rebus istis magnis & multis, quas ex Augustino asserimus, aberrasse putet, fieri potuisse non diffiteor. Veruntamen ubicumque mihi non certis ex testimonijs Augustini liquet, quid de rebus obscuris ipse senserit, quantum Deo juvante potui, ab asserendi præcipitatione temperavi: ubi verò traditæ ab eo sententiæ certitudo perspicuis & consonantibus undique principijs ac documentis aperitur, nefas putavi, id quod eliquata veritas ipsius esse demonstrasset, non incunctanter tanquam ipsius, quamvis refragantibus Scholasticis universis, asserere. Hoc enim ipse me proximè citatis verbis docuit, & ita faciendum esse, ratio perspicua, & reverentia, quam debemus perspectæ veritati, consulta respondet.

**A** Nec verò mihi formidandum putavi, nec dicar plus quàm cæteros in rebus periculosis velle sapere. Sententiam enim non tam attuli meam, quam speculando commentus sim; sed id, quod Augustinus de gravissimis rebus, ac discipuli ejus, vel ipsa subinde vetus Ecclesia sensit ac docuit, fideliter indagavi, sincerè patefeci, & eorum sententiam esse constanter asserui. Rationes adjeci, quibus illa ipsa sua seasa vel in scriptis suis fulserint, vel fulcire voluisse videbantur. Denique quæ diversis in locis simpliciter de rebus jam contraversis asseruerant, ad principia unde fluunt revocavi, ut totius doctrinæ quam tradiderunt, firmitas, vel infirmitas uni obtutui lectoris obijceretur. In quo si fortè hallucinatus sum, Augustini existimando, quod ipse fortè diligentius excussus improba veris, quàm venialis

error sit, prudentior quisque facile videt. Non enim in rebus ipsis, sed in sensu tanti auctoris, post non exiguos multorum annorum sudores, quos ardor sciendae sententiae ejus expressit, aberraverim. Hoc saltem confido non mihi foecordiam illam supinam pro addiscenda veritate, quam in quibusdam disputatoribus deprehendi, ignorantiae culpam affricuisse. Quapropter si quis in sensibus ejus investigandis me viam regiam reliquisse arbitretur, magni beneficii gratiam, & multi laboris compendium mihi praestabit, si & mihi aperuerit, quod sibi, Deo forte inspirante vel revelante, certius liquidiusque claruerit. Sin vero etiam resellendum me esse putet, nec hoc defugio beneficium: ut si errore carere non potui, saltem comitibus erroris caream. *Nam nimis perverse seipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat.* Veruntamen memor ille sit instituti mei, ne multum lacertos fatigando umbram feriat. Non ego hic de aliqua nova reperienda sententia discepto, quam privatam speculatione fabricaverim: sed de antiqua Augustini ex Augustini voluminibus eruenda. Hoc enim à me ex professo agitur, atque quaeritur, non quid de naturae humanae statibus & viribus, vel de Dei gratia & praedestinatione sentiendum sit: sed quid Augustinus olim Ecclesiae nomine & applausu, quae sententias ejus capitales tanquam totius doctrinae fulcra consecravit, & suas fecit, discipulis Augustini ad Scholasticorum aetatem usque plerumque concinentibus, tradiderit, praedicaverit, scriptoque multipliciter consignaverit. Itaque non rationibus Philosophicis, sed ex ipso Augustino, Prospero, Fulgentio, ex Canonibus Romanae Ecclesiae, quos ipsa ex Augustino sanxit, de Augustini adulterata vel non intellecta mente

revincendus sum. Hominem enim ex Augustino, & Ecclesiae veteris monumentis, hac de re satagentem, per naturales rationes, vel Philosophiae principia revincere velle, imprudentiae singularis est. Hujusmodi adversarium, si quis forte tam stolidus in arenam descendit, tanquam thesauros nostrae, vel hypotheseos, quae disputatur ignarum, silentio praeteribo, contemptu quam responsione dignorem.

Nec iterum in hac nostra disputatione quaeritur, utrum vera an falsa sint, quae tanquam Augustini sensa proferuntur, sed utrum Augustini sint. Quod profecto non aliunde quam ex Augustino, non insacundo sensuum suorum interprete, requirendum esse, vel caeci vident. Quod si ea Doctorem istum sensisse certum fuerit, vera an falsa sint, ipse viderit; ipse an Scholastici hallucinando fallantur, prudentes judicent, & Ecclesia toties oppugnata pro doctrina ejus auctoritatis mole discernat. Mihi enim constitutum est, eandem quam ab infantia secutus sum, sensuum meorum ad extremum spiritum usque ducem sequi, Romanam Ecclesiam & beatissimi Petri in Romana Sede successorem. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque cum ipso non colligit, spargit; apud quem solum incorrupta Patrum servatur hereditas. Quicquid ab ista Petri Cathedra, in cujus communiōe à teneris vixi, & porro vivere & mori fixum est, ab isto Principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri vicario, ab isto Ecclesiae Christianae universae Capite, Moderatore, Pontifice, praescriptum fuerit, hoc teneo, quicquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.

## C A P U T X X X.

Vtrum vetustas opinionum Scholasticarum, vel multitudo sectatorum Ecclesiam ab earum examine vel censurâ deterrere debeat, si antiquiori doctrinae sancti Augustini adversentur.

**A**N forte respondebunt mihi, Scholasticorum sententias, quae hic ab Augustino videntur esse reprobatae, jam à quingentis fere annis per universam pene Ecclesiam fuisse familiares, ideoque sequi, Ecclesiam pene totam errorum esse ream? Populus enim Christianus ubique terrarum tenet, quod Parochi & Antistites docent: hi vero quod in scholis à Doctoribus, vel in scriptis eorum traditum perceperunt: qui si per tot annos plerasque sententias docuerunt, quas ab Augustino reprobatas esse dicitur, Ecclesia profecto fere universa erroribus maculata fuit. Ita quidam pro tuendis opinionibus recentiorum argumentantur.

Sed respondeo, si de temporis mora quaestio

est, multis centenariis ante natas illas Recentiorum opiniones aliter ab Augustino ac discipulis ejus per totam Ecclesiam resonantibus, & communi Christianorum astipulatione probatis, usque ad adventum eorum, qui nova veteribus superinduxere, traditum fuit. Si ergo Ecclesia propter improbatas opiniones, quas diu receperat, nunc errasse timetur, quanto perniciosius tunc tot saeculis ante receptam, probatamque, per susceptionem contrariarum opinionum aboleverit? Sed absit, ut alterutro modo Ecclesia, sive filij ejus doctrinam Augustini minus intellectam à scholis exturbaverint, sive novam introduxerint, sive introductam iterum abolendo profri-

proscripserint, ullum de suscepto errore discrimen subeat. Aliud est, fide Catholicâ aliquid credere, aliud humanâ opinione sentire. Certum est Scholasticos, qui sententias plurimas ab Augustino reprobatas tenuerunt, vel paucos vel nullos eas tanquam Catholicam fidem tradidisse, vel etiamnum tradere: sed tanquam opinionem suam, animo ad eam relinquentem corrigendamque præparato, si fortè Scripturis, aut Concilijs, aut Pontificibus Romanis adversa declaretur. Ex quo fit, ut non solum Ecclesia universalis nullo fidei errore cœdata sit, sed nec ulla pars ejus alicujus momenti à fide aberraverit. Nam ut Augustinus: *Quia in hac arca (Ecclesiâ) pro voluntate quisque vel palea vel frumentum est, tandem sustinetur peccatum aut error cuiuslibet, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat. Non enim hæreticum error facit, sed erroris pertinacia. Itaque cum undecim errores fidei capitales Augustinus quodam libro attulisset: Hac, inquit, si pertinaciter singula defendantur, tot hæreses facere possunt, quot opiniones ista numerantur.* Sed quia animus opinantium in dictis per ignorantiam non Catholicis, est ipsâ correctionis præmeditatione ac præparatione Catholicus, hinc de talis animi viro falsis opinionibus gravidò sanctus idem Doctor adjecit: *Abstine ut arbitraris hac opinando à fide Catholica recessisse, quamvis ea fidei sint adversa Catholica.*

*Lib. de vera Relig. c. 6.*

*Lib. 3. de anima & animo orig. c. 15.*

*Ibid.*

Quòd si etiam non exigua, sed maxima Ecclesiæ pars in obscuris quæstionibus, in quibus, fide salvâ, quâ Christiani sumus, quænam opinio vera sit ignoratur, aut hæsitaret, aut aliter quàm se res habeat, opinando conjiceret, opinionemque suam postea detecta veritate mutaret, nullo erroris in fide aut hæreseos crimine cœdaretur. De quibusdam rebus, ut Augustinus docet, *quas neque sensu neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam Canonice claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam pervenerunt, sine iusta reprehensione dubitamus.* Sic enim olim, Hieronymo teste, propaginem animarum sentiebat occidentalis Ecclesia; quas nunc novas à Deo creati, sine ulla erroris hæretici reprehensione, defendit.

*Lib. 19. de Civit. c. 18.*

*Hier. apud Aug. Epist. ad opat. 157.*

Addo denique, si etiam Ecclesia universa rectè crederet, fidemque suam palàm in precibus & orthodoxis loquendi formulis fatetur, sed tamen quomodo verum sit id quod credit, non satis intelligeret, sed aliud atque aliud filij ejus humanâ suspitione, veracique submissione sentirent, nihil Ecclesia tota vel pars ejus in ipsa fide pateretur præjudicij. Arcanorum quippe mysteriorum integram fidem, non intelligentiam in hac vita Deus promissit Ecclesiæ. Unde si rectissimam fidem Ecclesiæ de trium personarum distinctione in una divinitate credat & prædicet: sed nemo filiorum ejus modum assequatur, & propterea diversis opinionibus conflitentur, & quædam dicant, quibus occultè fides ipsa quam tuentur, evertitur, nulla hæresis invidia in

<sup>A</sup> Ecclesiam cadit. Ita verò in plerisque capitibus doctrinæ accidit, in quibus ab Augustino Scholastici recessere. Nam & ipsi, & universa Ecclesia rectissimam fidem in Canonibus suis, & in precibus suis, ipsaque oratione Dominicâ quotidianâ protestatur, in quibus quicquid Augustinus de gratia & prædestinatione docuit, comprehenditur: sed quia vim eorum non attendunt, aut non intelligunt, hinc diversis opinionibus à se divulli sunt, quibus inadvertenter fidem aliquam Catholicè profitentur, interimunt. Sed quemadmodum in Sacramentorum administratione dici solet, quòd voluntas illa generalis faciendi quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia, corrigit latenter opiniones, quibus falsa, imò & hæretica de Sacramentorum formis opinantur: ita & hic fides immobilis, quâ credunt verum esse, quod in Canonibus vel oratione ad Deum fusâ profitentur, corrigit falsas opiniones, juxta quas cum animi submissione sub tribunal Ecclesiæ, fidem explicant; ita ut inde nulla in animum credentem hæreseos labes cadat.

<sup>B</sup> Quapropter nulla Scholasticarum opinionum vetustas quantocumque patrocinantium numero roborata, quibuscumque locis diffusa, quocumque ætatibus propagata, scdem Ecclesiæ labefactat aut maculat; quæ quæadmodum hujusmodi filios suos cum animi simplicitate in rebus obscuris opinantes aut errantes tolerare solet, donec eruditorum disputationibus, aut Conciliorum decisionibus veritas eliquetur: ita nulla opinionum vetustate terri debet, aut impediri potest, quin istas eorum opiniones ad incudem revocet, & de novo examinet, utrum à veritate sibi à Deo tradita, & antiquitus à suis veracibus & probatissimis magistris doctâ devierint. Si enim rectissime ab Augustino dictum est: *Episcoporum literas quæ post Scripturarum Canonem vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorum cuiuslibet in eare peritoris, & per aliorum Episcoporum graviolem auctoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est: quanto magis Doctorum Scholasticorum opiniones, quæ salvâ non solum Ecclesiæ, sed etiam ipsorum-met fide, fortè à veritate deflectunt, ad illam eandem licebit fidem, quam in precibus suis, & in Synodalibus decretis, ore proprio sinceroque corde profitentur, reprehendendo revocare, & revocando reprehendere, ut quod animo & verbis cum tota Ecclesia ab eis creditur, etiam ab eis intelligentiæ sinceritate capiatur? Nemo igitur ab improbandis hujusmodi inveteratis opinionibus Ecclesiam vetustate territet, quasi propter temporis diuturnitatem, quâ in scholarum pulpitis familiares factæ sunt, irreprehensibiles esse debeant, si fortè liquidò constet, eas toties probatis ab Ecclesia sanctissimi Doctoris placitis refragari. Nam quemadmodum juxta Tertullianum, *Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit: de veritate ita 797. c. 1.**

*Lib. 2. de bapt. c. 1.*

*Tertull. de veritate ita 797. c. 1.*

Non dicitur

ita non opiniones hominum diverforum di-  
 versas pro temporum vel rationum occurren-  
 tium varietate variantes; sed semel traditam  
 à Patribus veritatem sequendam imperavit.  
 Quam in hac materia de gratia & prædestina-  
 tione Patrem Patrum Augustinum tenuisse, ac  
 docuisse, certi & securi sumus. *Viderint ergò*  
*quibus novum est, quod sibi verus est:* & quibus ve-  
 tus esse videtur, quod reverà sibi novum est,  
 ac semel traditâ pridem veritate posterius.  
 Ille igitur etiam atque etiam volvendus ac re-  
 volvendus est, ut ex collatione cum antiqua  
 veritate contrariarum opinionum novitas cla-  
 reat, quibus dos Ecclesiæ antiquioris doctri-  
 næ sinceritas, quam Augustinus asseruit, per  
 humanarum ratiocinationum fucos obsole-  
 ta est.

Quòd si in istis controversiis me quispiam  
 Doctorum recentiorum numerositate vel au-  
 thoritate premat, moveor quidem vehemen-  
 ter, sed mirum, si etiam sapienter. Si enim  
 eruditioni eruditio comparanda est, non mo-  
 lestè ferant recentiores, si plus uni Augustino  
 tribuatur, in purissimis literarum sacrarum  
 fontibus, & abditissimis arcanorum divino-  
 rum recessibus, ingenio illo prodigioso, quod  
 descripsimus; divinitus illustrato indaganti  
 & assorenti, cui nemo non huc usque, nisi in-  
 signiter delirus aut superbus, fœces submisit;  
 quàm Theologorum ipsius doctrinæ repu-  
 gnantium quantumlibet numerosa multitu-  
 dini: qui si omnes in facies sese verterent, jun-  
 ctisque viribus contraherent, quicquid arte,  
 animis, eruditione valent, vehementer mi-  
 rarer, si vel unum ex illis, non dico sublimio-  
 ribus, quos Episcopus scripsit, sed ex illis,

A quos Laicus à baptismo recens de libero arbi-  
 trio, de vera Religione, de moribus Ecclesiæ,  
 aut alios parvis profunditatis atque eruditionis  
 arcanis principijs plenos exaravit, se scri-  
 pturos pollicerentur. Non enim eruditionis  
 profunditas ad arcana penetranda in multitu-  
 dine astipulantium sita est: qui non, sicut sus-  
 fragiorum numero, ita mentis acumine, unum  
 semper superant. Nam quemadmodum Sol  
 unus omnibus cœlestibus luminaribus præstat,  
 unaque inter omnes ignes Luna minores emi-  
 cat: ita gradus ingenij sublimioris ordinis, &  
 illustratio divina exuberantior millenis mil-  
 libus depressiorum ingeniorum, & radiorum  
 decoloratorum antecellit. Quòd si verò au-  
 thoritati auctoritas componenda est, unus est  
 Augustinus instar omnium, loco omnium;  
 supra omnes: à quo profectò solo in hoc ar-  
 gumento ipsi habent quicquid boni habent: &  
 quicquid ibi ab ipso non habent, defœcator  
 esset fortè & felicior Theologia, si careret.  
 Ad ipsum igitur confugiat quisquis in hisce  
 quæstionibus errare nolit, ad ipsum ab omni-  
 bus quantumlibet numerosis provocet, ipsius  
 vestigijs tanquam probatissimi Christianæ mi-  
 litie ducis indivulsus insitat: qui multis re-  
 bellantium hæreticorum trophæis inclytus  
 tandem & Massilienses subegit, Pelagianos  
 prostravit, de humana Philosophia eis iuffra-  
 gante triumphavit. Dabunt veniam adver-  
 sarij, si in ista controversia incomparabiliter  
 magis uni credendum putetur, qui totius Ec-  
 clesiæ gratulationes & plausus de victoria  
 parta meruit, quàm ijs, qui sibi de beni-  
 gniorè Ecclesiæ censurâ gratulantur;

M. S. T. N. W. S. Q. E. N. I. S.

F I N I S.



C O R N E